40520/P

5 505

HIPPOCRATIS NOMINE QUAE CIRCUMFERUNTUR SCRIPTA AD TEMPORIS RATIONES

DISPOSUIT

CHRISTIANUS PETERSEN,

IN GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO PHILOL. CLASS. PROF. P.

PARS PRIOR.

PRAEMISSUM INDICI LECTIONUM IN GYMNASIO ACADEMICO

A. 1839 HABENDARUM.

HAMBURGI, 1839.

Typis Joannis Augusti Meissneri, Amplissimi Senatus, Gymnasii et Joannei Typographi.

IN COMMISSIS PERTHESIO-BESSERI ET MAUCKII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Chr. Petersen,

Philol. class. P. P. H. A. Gymnasii Rector

Lecturis S.

In publicum emissurus hunc indicem lectionum, quae a Gymnasio nostro Academico offeruntur, anno, quod instat, scholastico habendae, vidi pauca esse nova, quae memoriae proderem, ea tamen, quae copiam facerent laetandi et gratulandi. Omnium maxime delectamur recordatione earum rerum, quas collega officiis coniunctissimus, cui in rectoris munus succedo, ante hunc annum retulit, magistratuum dico benevolentiam, curam, diligentiam, civium studia, ad litteras fovendas collata, eximia atque liberalitatem singularem. Neque nostram ipsorum operam defecit eventus. Numerus eorum, qui totos nobis se in disciplinam dederunt, non fuit minor, illorum, qui singulas scholas publice habitas frequentarunt, etiam maior. Nos aegre ferentes, quod adhuc deversoriis et hospitiis utendum erat, ad frequentiam discentium capiendam, sustentavit eorum, qui ea concesserant, comitas, et con-

)(

solatus est conspectus aedificiorum in litterarum commodum magnifice exstructorum; quae quo propius ad consummationem accedunt, eo magis augent desiderium eoque laetiore spe nos efferunt. Neque enim quidquam ardentius optamus, nihil magis ex animo a Deo optimo maximo precamur, quam ut impensis, quae liberaliter erogatae sunt, respondeant litterarum emolumenta, ut aedificiorum firmitati et soliditati, quarum sensu commoventur animi contemplantium, par agnoscatur rerum ibi asservandarum et gerendarum dignitas, constantia, gravitas. Sed neque desideria nostra hic tacere debemus. Maxime optandum videtur, ut instrumentorum et quasi doctrinae supellectilium utilitas alliciat elegantiae et venustatis rationes, ut cum litteris concordes habitent artes, ut iuxta rerum naturalium copias, praeter machinas totumque physices et matheseos apparatum colligantur antiquitatis et artium monumenta, quorum si nimis pretiosa minus sperare licet ipsa, exempla tamen ad horum imitationem perfecte expressa apud nos desiderari non decet.

Sed quae est rerum humanarum vicissitudo, non omnia fuerunt laeta; sunt etiam, quae dolorem iubeant renovari. Collega natu maximus C. F. Hipp, Matheseos et Physices P. P. O., otio illo senectutis, quod honorificentissime concessum erat, per duo vix annos fructus, mortem obiit d. 6. Sept. anni superioris. Funus celebratum est d. 10. Sept.

pompa solemni, quae verissimum et gravissimum fuit documentum, quo animo eius memoriam colant omnes. Nullo evocante, nihilo pactione aliqua constituto, sed sua sponte ad exsequias cohonestandas convenerant ex Gymnasio et utraque Ioannei schola collegae, discipuli et qui ultimo tempore et qui ante multos annos fuerant, verbi divini magistri et Rev. Ministerii candidati, iurisconsulti et medici, docti indocti, magistratus cives. Ut memoriam beati collegae celebraret, ad sepulcrum verba facere voluerat Gymnasii rector, quem cum subitarius morbus prohibuisset, postquam Ioannei Director C. Fr. Kraft, Ss. Th. Dr. diserte collaudaverat, quid collega vita perfunctus in docendi munere praestiterit et collegis et discipulis, qualis fuerit pater, qualis amicus, tum minime paratus ad dicendum prodiit Otto Krabbe, quondam discipulus, ultimis annis collega, atque ex tempore facunde adumbravit, uti tota agendi ratio singulari quadam amoris vi et pietate perfusa atque temperata fuerit. Nihil est, quod addam horum virorum eloquentiae. Accedit, quod summam meritorum exposuerunt collegae, qui superioribus annis ante me Gymnasii annales lectionum indicibus praemiserunt. Benevolentiam, eruditionem, eximiam docendi artem et facilitatem servat gratus civium animus. Vita, studiorum ratio, scripta, quaeque in duplice, quo functus est, munere publico gessit, relinquenda sunt collegae aestimatissimo, qui scriptione publica viri morte nobis erepti memoriam civibus nostris commendabit.

Ut de ceteris absolvam, quae anno praeterito ad res Gymnasii pertinuerunt. Scholarum ratio eadem mansit, quam promiseramus, neque quidquam aliud mutatum est, praeterquam quod pro foederis Hanseatici historia traditae sunt res in Europa inter annum 1806 et 1814 gestae. Accesserunt lectiones semestri aestivo habitae de mercaturae rationibus, quae hodie mari Baltico intercedunt cum orbis terrarum partibus ad occidentem vergentibus, illae quae supplerent quod ante hunc annum commentatum erat de legibus, quibus novissimo tempore mercatura adstricta est.

Restat ut de studiis referam eorum, quibus operam navamus prae ceteris et curam tribuimus peculiarem. Plerique omnes scholis affuerunt assidui et studiosi, mores nobis approbarunt bonos atque honestos, neque desiderari passi sunt documenta, quibus ingenium, industria domestica atque in litteris progressus agnoscerentur. Quisque eorum in Academiam transiturus exhibuit specimen, quod laude publica videretur dignum. Qui festo Paschatis, quod instat, studia sua in litterarum universitate persequi animum induxerunt, eorum iam nomina ex collegarum auctoritate proferam, adiunctis argumentis rerum, in quibus enucleandis versati fuerunt.

G. Bargmann Iulii II. Papae Ingenium et Res exposuit.

H. L. Behn in leges Iulias Augusti de Adulteriis, de Ambitu et de Maiestate est commentatus.

A. E. Homann Primislai Ottocaris Bohemiae regis Vitam et Res gestas narravit.

H. A. Kunhardt, quomodo Caesar Octavianus Romae principatum constituerit, demonstrare conatus est.

J. S. Lazarus, Masurii Sabini Icti Vitam et Doctrinam ex ipsis antiquitatis monumentis adumbravit.

H. Ludolf Pauli ad Philemonem epistolam illustrare est conatus.

H. H. C. Lüdemann De libri, qui סֵפֶר הַיָּשָׁר inscriptus Ios. X, 13 et 2 Sam. I, 18 legitur, argumento et aetate disseruit.

G. Nevile De Dioclis Carystii Aetate et Doctrina exposuit et scriptorum fragmenta collegit.

Th. T. Ritter Stirpes Phanerogamas in vicinia urbis Hamburgi sponte crescentes secundum systema naturale Candollianum disposuit deque usu earum disputavit.

H. F. Schmidt De Rebus exposuit Francogalli clarissimi Mathieu Molé, strenui legum vindicis, qui saeviente factione saec. XVII medio Parlamento Parisiensi praeerat.

H. Gu. Suhr De Controversiis Paschalibus primi et secundi saeculi inter orientalem et occidentalem ecclesiam scripsit. — Idem Christi colloquium cum muliere Samaritana (Ioh. IV, 1—26) illustravit.

J. H. Th. Wieck Q. Antistii Labeonis Icti de Vita et Ingenio exposuit, Scriptorum Fragmenta collegit.

Inter illos quoque, qui studia sua proximo tempore in Gymnasio nostro persequentur, sunt, qui diligentiam suam et in litteris profectum testificati sunt scriptionibus et ipsis hoc loco praedicandis.

G. Cohen De Angli clarissimi et nobilissimi Guilelmi Temple, Equitis, Rebus et Tempore exposuit.

J. Cohen Persei Macedonum regis ultimi Res gestas narravit, ipsum contra crimina falso obiecta defendere est conatus.

Reputantibus nobis cum animis, ultimum esse annum, quem, si Divina providentia favet magistratuum consiliis, vetere aedificio degamus in ruinam prono, non possumus non preces fundere, ut Gymnasium modo instauratum iuvenili vigore recepto relinquat priscam domum et florens auspicetur sedem novam super firmis fundamentis erectam, quo, sicuti duarum mansionum aetates superavit, neque cum hoc habitaculo consenescat. Cum quaevis gravior rerum mutatio animum soleat vehementius commovere, atque, praesertim si laeta est, ad consilia excitare optima aut capienda aut persequenda, vos quoque, commilitones ornatissimi, adhortari ab hoc tempore minime alienum credidi, ut in discendi officio religiose perseveretis, ut flagranti amore litteras atque artes ingenuas amplectamini, negotiorum vestrorum et suavitate capti et gravitate impulsi.

Ars critica quamvis a falsis vera, a certis dubia discernere, omnia veritatis luce collustrare, fucos vero abstergere atque captiones discutere propositum habeat, saepius tamen res turbare, verum abscondere et afferre dubitationem, non tollere solet. Quare hanc rationem et viam, quam lucem salutamus litterarum, crucem interdum appellare licet. Suas vicissitudines habent litterae: saepe falsa crisis species veritatis studium ementitur, saepe hoc ipsum incidit in errorem, sed „*effulget tenebris Aurora fugatis*". Quam lubrica et fallax videatur crisis, omnium maxime ostendunt illi, qui de librorum Hippocraticorum fide et auctoritate scripserunt. Uno quidem ore cuncti laudant Hippocratis doctrinam, sed ne duo quidem eosdem libros genuinos, eosdem spurios iudicant. Quin omnino desperandum est, si Linkio fidem habemus, arguenti, ne unum quidem librum superstitem esse, qui satis certo magno illi medico vindicari possit. *)

Sane mirandum est, eius dissertationem doctam, subtilem, solertem atque inprimis dignam, quae consuleretur, a nullo satis perpensam esse eorum, qui postea artis medicae historiam tractarunt, Sprengelium dico, Heckerum et Friedländerum.

*) H. F. Link, Über die Theorien in den Hippokratischen Schriften, nebst Bemerkungen über die Echtheit dieser Schriften. Abhandlungen der Berlin. Akad. 1814 — 1815, Physikalische Klasse, p. 240. „*Wir haben hier eine Sammlung von Schriften, vor der Zeit geschrieben, als zu Alexandrien Wissenschaften, und mit ihnen die Arzneikunde blühten, und mit dem Namen Hippokrates bezeichnet. Verschieden ist in ihnen Lehre und Sprache, so dass sie wenigstens von sechs Verfassern herrühren, unter denen man einen auswählen mag, um ihn Hippokrates zu nennen.*"

Quam quidem si integram probassent, totamque accepissent, artis medicae ante tempora Alexandrina historiam, qualis adhuc traditur, evertere debuissent atque impedimenta potius attulissent, quam superassent. Neglectis vero iis, quae Linkius invenerat, acquiescendum erat in iis, quae superioris aevi critici repererant. Quotquot*) praeter Linkium de librorum Hippocraticorum conditione quaesiverunt, eorum plurimi pauca tantum scripta pro genuinis habuerunt, de quibus dubitari non posset, alia plura pro spuriis reiecerunt, multo autem plurima non nisi suspecta et dubia reliquerunt, ut fidem neque praestare, neque abrogare auderent. Neque tamen omnino desunt libri, quos genuinos esse, omnes praeter Linkium concedant. Ex hoc statu causae cum manifestum sit, quam male habita sit crisis, quo modo eius ratio emendari possit, quaerendum.

Tantum abest, ut dubii animi vel ignorantiae confessionem atque excusationem admittamus, ut illud crisis genus nobis omnino non sufficiat, quod signis et argumentis concludit, hunc librum esse Hippocratis, hunc esse non posse.**) Imo flagitamus, ut doceatur, quo tempore, quo consilio, si fieri potest, etiam qua in terra compositus sit quisque liber non genuinus. Ita demum apparebit, quomodo distinguantur scripta spuria et supposititia ab illis, quae non auctoris culpa nomina gerunt falsa. Multa enim, quae animo sincero et veritatis studio conscripta sunt, ut iis, qui aegrotis mederi vellent, medendi rationem traderent, postea incuria quadam et inscitia, cum, quis fecisset, ignotum esset, falso magni scriptoris nomine sunt ornata.

Fieri etiam potuit, ut eiusmodi scriptis illi, ad quos fors detulerat, pravo lucri studio ducti, nomen clarissimi cuiusdam viri praescriberent, ut a bibliothecarum conditoribus maius pretium acciperent. Eiusmodi libri, qui a medicis Hippocrate antiquioribus, vel ei aequalibus, vel etiam paullum natu minoribus editi sunt, utrum negligentia et casu, an dolo falsam inscriptionem acceperint, ut dispiciamus, fore sperandum non est, neque necessarium; utrosque vero,

---

*) Ceterorum iudicia recensuerunt et suam uterque sententiam addiderunt J. A. Fabricius in Bibliotheca Graeca Vol. II. p. 506 seqq. ed. Harles et Chr. Godofr. Gruner in censura librorum Hippocraticorum, Vratislaviae 1772.

**) Id quod efficere studuit Grunerus, qui dubiorum librorum genus non statuit.

cum a genuinis, tum a fictitiis, quos falsarii supposuerunt, secernendi et ad certam aetatem referendi periculum facere licebit.

Sed ne nimium flagitare vel polliceri videamur, significari oportet, quot quantaeque obstent difficultates. In scriptorum genere versamur, quod penitus intelligi non possit, nisi ab iis, qui periti sunt artis eiusdem, quae in eo tractatur. Ars vero medica a philologia hodie tam disiuncta est et utraque tantae molis, ut ambae ab uno eodemque homine concipi non possint. Iam causam vides, cur philologi magis, quam medici, hanc quaestionem, si non omnino reliquerint et reformidarint, certe non ea, qua indiget, subtilitate tractarint. Itaque a principio mihi confitendum est, medicinae me omnino esse expertem, neque ignarum, non nisi doctis medicis ultimam sententiam esse dicendam, saltem intercedendi potestatem remanere.

Mihi ergo nihil aliud vindicaverim, nisi ea argumenta persequi atque proferre, quae philologia suppeditare debet. Si artis medicae vel anatomiae saltem ostentationem non omnino vitare possum, quae eo pertinent, ea medicis accepta refero illis, qui de Hippocrate aut commentati sunt, aut mecum sermones seruerunt. Itaque confidenter indulgentiam imploro veniamque mihi peto, si quid intactum vel dubium reliquerim, vel etiam erraverim, dummodo mihi contigerit, ut ex iis, quae argumentis, opinor, idoneis satis firmata non amplius dubitandi locum dabunt, in historiam et artis medicae et litterarum Graecarum nonnihil lucis redundet.

Duplex est genus argumentorum, quibus utitur huiusmodi crisis, unum externorum, quae ostendunt, quid lucis his libris diiudicandis impertiantur reliqua antiquitatis monumenta, alterum internorum, quae ex ipsorum librorum conditione et discrimine petuntur. Utrumque genus rursus duos habet locos. In ipsis enim libris diiudicandis et doctrina et oratio perpenditur. Ex reliquis antiquitatis monumentis testimonia afferuntur, quae aut scriptum aliquod vel sententiam et rationem in eo prolatam certo auctori aut adscribunt vel abiudicant, aut doctrinas et artis formulas aliorum auctorum referunt, ad quas libri incerti temporis et auctoris respiciunt, unde intelligi possit, quid prius, quid posterius editum sit. His igitur quatuor argumentorum locis quasi fundamentis tota nititur disquisitio.

Primum quomodo singuli libri alios alii exceperint secundum temporum consecutionem, ut appareat, doctrinae, sententiae et opiniones, quae iis continentur, inter se sunt conferendae, animadvertendo, qui libri alios respiciant, vel ex aliis aliquid desumant, quas mutationes subierint artis formulae, sive posteriores libri superiorum errores correxerint, sive veris reiectis falsa substituerint; neque enim posterior quaeque sententia ideo est verior. Hanc viam aperuit Linkius, sed ipse minus caute est ingressus.

Deinde loquendi genera sunt distinguenda; quid antiquius, quid recentius fuerit, considerari oportet; inprimis animadvertendum, quomodo cuiusque vocabuli vis deinceps sit mutata, ubi minus magisve definita, ut eadem notio aliis in libris aliis vocibus exprimatur, neque praetermitti oportet rationem verborum comprehensione deinceps accuratius devinctorum, dialectorum denique differentiam atque temperationem. Ad indagandas singulorum vocabulorum significationes subinde mutatas praeter Foesii Oeconomiam Hippocratis maximo adiumento fuit Erotiani Glossarium, cuius conditionem, qualis nunc est consuetae litterarum seriei accommodata, non esse primigeniam, sed a principio in eo dictiones aut rariores, aut obsoletas, aut singulis libris vel locis proprias, ad librorum ordinem, quem praemiserit, esse exhibitas, summa cum subtilitate maximoque harum litterarum commodo editores docuerunt.*) Homo quidam nasutulus, cui hodiernam libri conditionem debemus, se excipere vocabula iussit, quae ab eadem littera initium caperent, sed litterarum, quae secundum vel tertium in quoque vocabulo locum obtinerent, nulla habita ratione; quo ordine ab auctore ex singulis libris excerpta erant, eum servare passus est vocabula ex eodem libro desumpta, quae quidem primam litteram haberent eandem, ut quae totius libri antea fuerit dispositio, agnoscatur in serie verborum, quae ab eadem littera incipiunt.

Tertio loco si unius vel alterius medici doctrina vel scriptum aliquod ab aliis scriptoribus aut memoratur aut satis manifeste indicatur, haec testimonia pro primis iisque firmissimis totius disquisitionis fundamentis semper sunt habita. Sed plerique adhuc male iis usi et Galenum inprimis secuti sunt ducem, qui

*) Demonstravit iam primus editor Henr. Stephanus, affirmarunt Foesius, Heringa et novissimus editor Io. Ge. Fr. Franzius, cuius editionis, quae Lipsiae 1780 prodiit, paginas in singulis locis significandis afferam.

quam imperitus sit viae, arguunt iudicii inconstantia animique fluctuatio. Neque inter se consentiunt ceterorum medicorum iudicia, quae aut in ipsorum libris restant, aut apud Galenum leguntur. Eiusmodi igitur testimonia omnino nil valere, iure contendit Linkius, si quidem recentiora sunt aetate Alexandrina, quae plurima huius generis scripta aut falsis auctorum nominibus vel iam praedita accepit, vel ipsa insignivit, aut additamentis contaminavit, aut denique tota finxit atque supposuit.*) Vera ut a falsis seiungeremus, nos adiuvarent *Tabulae***) librorum genuinorum, quas fecerunt critici Alexandrini, (tum *πίνακες*, nunc *κάνονες* vocantur) si superstites essent. Sed aut omnino interierunt, aut si qua servata est, certo illius temporis auctori vindicari non potest.***) Praeterea quam infirma fuerit harum tabularum apud medicos auctoritas, arguunt diversa eorum, quos Galenus adhibuit, iudicia atque tanta notitiarum raritas. Maioris momenti, quam adhuc aestimantur, sunt testimonia ex ipsa aetate Alexandrina servata vel etiam superiora; nam cum apud Platonem et Aristotelem nonnulla

---

*) Libros eo tempore multos a falsariis suppositos esse, testatur Simplicius in Cat. Aristot. f. 2. Ed. Bas. Inter Hippocraticos libros plures esse antiquos quidem, sed tum falsis nominibus ornatos, refert Galenus Comm. II. in Hipp. de Nat. Hom. p. 18. Bas. V. p. 128. Chart. III. p. 109. Kühn XV. Idem de libris interpolatis et contaminatis agit Comm. II. in Epid. lib. III. p. 411. Bas. V. p. 239. Chart. IX. p. 603. Kühn XVII. 1. et Comm. I. in lib. VI. p. 442. Bas. V. p. 355. Chart. IX. p. 796. Kühn XVII. 1.

**) *Οἱ τοὺς πίνακας ποιήσαντες*, grammatici et critici, quos dixi, afferuntur a Galeno in Comm. I. Hippocr. de Artic. I. 45, p. 591. Bas. V. p. 314. Chart. XII. p. 379. Kühn XVIII. 1. Cf. Vossius de Hist. Graec. ed. Westermann, p. 128. Memoratur ab eodem Galeno *τὸ μικρὸν πινακίδιον* librorum maxime genuinorum (de Diffic. Respir. II. p. 182. Bas. III. p. 256. Chart. VII. p. 855. Kühn VII) quod quidem Sprengelius male intellexit de pluteo librario Gesch. der Med. I. 3. 3. §. 47, p. 367, ed. nov.

***) Eiusmodi est tabula, quam exhibet Erotianus p. 22, quam aliquis ab Aristophane Byzantino profectam suspicetur, cuius scripta adhibuit Erotianus. Aristarchum nominat quidem, eius vero scriptis non usus est. Neque eius subtilitatem et religionem in tabulae istius delectu agnoscas. Propterea neque de Eratosthene cogitaverim. Callimachus denique, cuius tabulae saepius memorantur, quod sciamus, genuina a falsis discernendi periculum nondum fecit, neque a nostro nominatur. Nihilominus conjectura de Aristophane tabulae auctore non argumentis nititur satis firmis.

latent a criticis praetermissa, tum in reliquiis Dioclis Carystii medici, qui paucis annis post Hippocratem viguit, in reliquiis denique Herophili, Erasistrati, eorumque qui ingressi sunt vestigiis. Animadvertendum vero est, eiusmodi argumentis superiorem modo librorum aetatem probari, non Hippocratis auctoritatem, nisi ipsius nomen diserte sit additum.

Ad ultimum denique argumentorum genus pervenimus. Ut librorum inprimis antiquiorum aetates cognoscamus, cum rerum gestarum in iis nunquam mentio fiat, neque multo frequentior sit scriptorum medicorum memoria apud rerum scriptores, inprimis philosophi sunt consulendi, quorum doctrinas et aetates cognitas habemus. Etenim cum antiquissimis temporibus praeter historicos inprimis philosophi libros ediderint, pro eorum celebritate et auctoritate fieri non potuit, quin ex eorum doctrinis in medicinam tum philosophiae tam affinem nonnihil transferretur. Haec argumentandi ratio, a superioribus criticis minime neglecta, hodie maiora commoda promittit, quia plurimorum philosophorum reliquiae, in omni scriptorum genere dispersae, nunc collectae et dispositae exstant, quod Democrito, quem Hippocratis praeceptorem nuncupant, nondum evenisse, valde doleo.

Reputanti mecum, utrum inventa mea eadem ratione et via proferrem, qua invenissem, an singulos libros ad consecutionem temporum tractarem, quibus adscribendos duxissem, hic aetatum ordo praeferendus videbatur, quia et brevitati et perspicuitati maxime inservit. Sed ne acta agerem, neve quae vera critici antea eruerunt, immerito spernere viderer, a Linkii repertis iisque, de quibus ceteri convenerunt, retractandis profectus sum. Haec disserendi ratio id quoque commodi praebet, ut ita totius disquisitionis summam praemittere liceat. Quo facto si quis operam navare constituit eidem quaestioni, me facilius monere poterit de erroribus, in quos forte inciderim, ut eos fugiam vel corrigam, si quando copia mihi fuerit facta de singulis libris diligentius agendi. Hoc modo simul omnium operum difficultatumque, quibus laborant, notitia aperitur, quam lectoribus ob mentem versari oportet, cum in singulis tractandis ab antiquioribus saepe ad iuniora, a iunioribus ad antiquiora sit respiciendum.

Duas igitur constituam partes, quarum prior dispositionem omnium operum exhibebit, quae Hippocratis nomen gerunt, accommodatam ad aetates, quibus

compositae videantur, posterior illud, quod priore magis declaratum est, quam demonstrari potuerit, singulis operibus contemplandis affirmabit et argumentis probabit. Posterioris partis tres erunt sectiones, quarum prima libros Hippocrate antiquiores, secunda genuinos et aequales, tertia iuniores et spurios tractabit. In priore parte ab Hippocratis aetate proficiscendum erat, utpote si non omnino certa, tamen certiore quam ullius libri origines.

Pars prior.

Librorum Hippocraticorum classes temporis, quo ortae sunt, ratione dispositae.

Spretis veterum et recentiorum opinionibus, Linkius ex ipsis libris, qui Hippocratis nomen gerunt, inter se collatis secundum varias doctrinae rationes, quas sequuntur, sex constituit classes. Qui libri eandem artis formulam aut prae se ferunt, aut tacite agnoscunt, eos una classe coniunxit, qui diversam sequantur, secrevit, etiamsi adhuc eadem inscriptione praediti unum opus efficiunt. Neque dictionis varietatem neglexit, unde appareret, in eadem classe saepe plurium auctorum scripta recenseri. In primam classem retulit libros, in quibus *bilis et pituita* partes principales humorum in corpore humano efficere creduntur. Secunda classis amplectitur libros, qui duplicem statuunt *bilem flavam et atram* iisque addunt *pituitam et sanguinem*, ut quatuor constituant liquida corporis humani elementa ad calidi et frigidi, humidi et sicci rationes relata. Quae quatuor rationes vel qualitates si Aristoteli originem debere ideoque scripta, quibus produntur, Aristotele iuniora Linkio visa sunt, non possum non repugnare huic sententiae, quam tota et artis medicae et philosophiae historia refutat. Etenim non Empedocles*) tantum, centum fere annis ante Aristotelem, quatuor elementorum rationem docuit, quae ad duo illa opposita referuntur, sed ea ipsa diserte pro-

*) Empedocles, Auct. Sturz. p. 139 seqq.

posita sunt ab Anaximandro,*) qui omnium primus de natura rerum scripsit. In tertia classe recensetur sententia eorum, qui *qualitates inter se oppositas easque numero infinitas* ponunt pro corporis elementis. Quarta classis est eorum, qui *ignem omnium rerum principium* habent. Quintae classi adnumerantur scripta, quae *flatibus* morbos effici contendunt, sextae denique, quae a *fluxionibus* eos derivant. Cum paucis fortasse ad manum sit Linkii dissertatio, quae accuratius nobis in disquisitionem est vocanda, recensum librorum ab eo exhibitum hoc loco repetendum duxi.

I. Bilis et pituita corporis humani elementa principalia.

Ἐπιδημιῶν ά καί γ'	*de Morbis Popularibus lib. I. et III.*
Προγνωστικά	*Praenota.*
Προῤῥητικῶν ά καὶ β'	*Praedictorum lib. I. et II.*
Κωακαὶ προγνώσεις	*Coacae Praenotiones.*
Ἀφορισμοί	*Aphorismi.*
Περὶ διαίτης ὀξέων	*de Victu Acutorum.*
Περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων	*de Aëre, Locis et Aquis.*

II. Bilis duplex, pituita et sanguis corporis humani elementa.

Περὶ φύσιος ἀνθρώπου	*de Natura Hominis.*
Περὶ γονῆς	*de Genitura.*
Περὶ φύσιος παιδίου	*de Natura Pueri.*
Περὶ διαίτης ὑγιεινῆς	*de Victu Salubri.*
Περὶ διαίτης ὑγιεινόντων, β' καὶ γ',	*de Victu Sanorum, lib. II. et III.*
Περὶ τροφῆς	*de Alimento.*
Περὶ παθῶν	*de Affectionibus.*
Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν	*de Affectionibus Internis.*
Περὶ νούσων	*de Morbis.*
Περὶ γυναικέων	*de Morbis Mulierum.*

*) Simplicius in Arist. Physica f. 32 b. et 105 b. Themisthius in eund. loc. f. 33.

Περὶ γυναικείης φύσιος	*de Natura Muliebri.*
Περὶ ἱερῆς νούσου	*de Morbo Sacro.*
Περὶ αἱμοῤῥοΐδων	*de Haemorrhoidibus.*
Περὶ παρθενίων	*de His, quae ad Virginem spectant.*
Περὶ ὄψιος)*	*de Visu.*
Περὶ ἑλκῶν	*de Vulneribus.*
Περὶ συρίγγων	*de Fistulis.*

III. Qualitates oppositae corporis humani elementa.

Περὶ ἀρχαίης ἰατρικῆς	*de Prisca Medicina.*

IV. Ignis rerum principium.

Περὶ σαρκῶν	*de Carnibus.*
Περὶ διαίτης ὑγιεινόντων, ά	*de Victu Sanorum lib. I.*

V. Flatus morborum causa.

Περὶ φυσῶν	*de Flatibus.*
Περὶ ὀστέων φύσιος	*de Ossium Natura.*

VI. Fluxio morborum causa.

Περὶ τόπων τῶν κατ᾽ ἄνθρωπον	*de Locis in Homine.*
Περὶ ἀδένων	*de Glandulis.*

Quamvis acumen atque sagacitatem viri doctissimi agnoscam, neque tamen classes satis accurate sunt constitutae, neque libri omnes iustis classibus adsignati. Sexta classis, ut ab ultima ordiar, a ceteris non iuste distinguitur, siquidem principium divisionis habet a ceteris diversum; fluxio enim elementa desiderat, quae fluant, quae si non in aliqua priorum classium recensita sunt, peculiarem classem flagitant; pertinent vero aut ad primam ambo scripta, quae Linkius ad sextam retulit, aut prior ad primam, posterior ad secundam. Quintae classis libri non omnes eiusdem generis sunt, neque ambo e flatibus deducunt

*) Ita scribere voluit, opinor, non ὀζέως, ut typis est impressum.

morborum originem, sed *de Ossium Natura liber* quatuor elementorum rationem sequi videtur ideoque in secundam classem est referendus *Libri* vero *de Victu Sanorum tres*, quorum primus in quarta, secundus et tertius in secunda classe enumerantur, ad neutram pertinent, neque alius ab alio seiungendi erant, sed cum ignem et aquam rerum principia ponant, propriam classem efficiant oportet. E secunda classe praeterea secernenda sunt scripta aliquot, quae quatuor quidem corporis humani elementa sumunt, sed pro duplice bile accipiunt bilem et aquam, cuius generis sunt *liber quartus de Morbis* et *de Genitura liber*, quibus *de Remediis purgantibus* (περὶ φαρμάκων) *liber* a Linkio praetermissus accedit.

Ex eadem classe in secundam transferendi sunt *de Morbis liber primus, de Affectionibus, de Haemorrhoidibus, de Fistulis, de Victu Salubri* atque *de Morbo Sacro libri*, quibus accedunt illi *de Insomniis* (περὶ ἐνυπνίων), *de Insania* (περὶ μανίης) atque *de veratri usu* (περὶ ἐλλεβορισμοῦ). *Liber* denique *de Natura pueri* singularem exhibet et stirpium et naturae humanae rationem, siquidem accipere videtur nescio quod rerum principium, ex quo, ut prima elementa, oriuntur spiritus (πνεῦμα) et liquor (ἰκμάς) ad singulas res generandas apta. Ex ceteris huius classis libris plurimi quatuor qualitatum doctrinam magis obscure significant, quam disertis verbis declarant, quibus praeter eum, quem dixi e quinta classe huc esse transferendum, adnumerari possunt *de Humoribus* (περὶ χυμῶν), *de Usu Liquidorum* (περὶ ὑγρῶν χρήσιος), *de Indicationibus* (περὶ κρισίων), *de Diebus Judicatoriis* (περὶ κρισίμων), *de Sterilibus* (περὶ ἀφόρων) atque *de Corporum sectione libri* (περὶ ἀνατομῆς). In prima denique classe discrimen est faciendum inter eos libros, qui bilem et pituitam morbosos corporis humores ponunt, quorum ipsa fluxio morbos efficiat, atque eos, qui bilem et pituitam naturales habent corporis partes, quarum varia temperatio corporum et animorum diversitatem constituat, secretio vero, si fluxionem naturalem sanguinis aliorumque liquorum impediat, morborum fiat causa. Eius generis sunt cetera huius classis scripta praeter *Praedictorum librum primum, Coacas Praenotiones*, quorum ad rationem quodammodo accedit *de Locis in Homine liber*.

Itaque iusto divisionis principio constituto classium et ordinum ratio erit haec:

Primus ordo, librorum, qui a rerum principiis proficiscuntur.

Prima classis. Aër rerum principium.

De Flatibus.

Secunda classis. Ignis rerum principium.

De Carnibus. — *De Partu septimestri.* — *De Partu octimestri.* — *De Superfoetatione.* (περὶ ἐπικυήσιος.) — *De Dentitione.* (περὶ ὀδοντοφυΐας.)

Tertia classis. Spiritus et liquor generationis principia.

De Natura Pueri.

Quarta classis. Ignis et aqua rerum principia.

De Victu Sanorum libri tres.

Secundus ordo, librorum, qui a corporis humani elementis proficiscuntur.

Quinta classis. Bilis et pituita corporis humani humores primarii.

De Morbis Popularibus liber primus et tertius. — *De Morbo Sacro.* — *De Morbis liber primus.* — *De Affectionibus.* — *De Victu Acutorum.* — *Praenota.* — *Praedictorum liber secundus.* — *Aphorismi.* — *De Aëre, Locis et Aquis.* — *De Insomniis.* — *De Insania.* — *De Veratri Usu.* — *De Haemorrhoidibus.* — *De Fistulis.* — *De Victu Salubri.*

Sexta classis. Bilis flava et atra, pituita et sanguis corporis humani humores primarii.

De Natura hominis. — *De Humoribus.* — *De Natura Ossium.* — *De Corde.* — *De Corporum Sectione.* — *De Glandulis.* — *De Visu.* — *De Alimento.* — *De Usu Liquidorum.* — *De Affectionibus Internis.* — *De Morbis Popularibus liber secundus, quartus et sequentes.* — *De Morbis liber secundus et tertius.* — *De Morbis Mulierum libri duo.* — *De Natura Muliebri.* — *De His, quae ad Virginem spectant.* — *De Sterilibus.* — *De Vulneribus.* — *De Iudicationibus.* — *De Diebus Iudicatoriis.*

Septima classis. Bilis, aqua, pituita et sanguis corporis humani humores primarii.

De Morbis liber quartus. — De Genitura. — De Remediis Purgantibus.

Octava classis. Elementa corporis inter se contraria numero indefinita.

Liber de Prisca Medicina.

Tertius ordo, librorum, qui ab humoribus morbosis proficiscuntur.

Nona classis. Bilis et pituitae fluxio morborum causa.

Praedictorum liber I. — Coacae Praenotiones. — De Locis in Homine.

Quartus ordo librorum chirurgicorum.

Decima classis.

De Officina Medici. — De Capitis Vulneribus. — De Fracturis. — De Articulis. — Vectiarius. — De Foetus in Utero mortuae exsectione. (περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου).

Quintus ordo, librorum, qui certam artis formulam vel doctrinae rationem non produnt.

Undecima classis.

Iusiurandum. — Lex. — De Arte. — De Medico. — De Decente Habitu. — Praeceptiones. — Oratio ad Aram. — Thessali legati Oratio. — Epistolae.

Quae classes, si inter se conferuntur, tenendum est primo, decimam et undecimam a ceteris separari, atque, cum non certam de morborum origine doctrinae rationem prodant, libros potissimum testimoniis et loquendi generibus aliisque signis cognitu difficilioribus distingui et ad certum tempus referri oportere, deinde fieri posse, ut in utraque libri reperiantur ab iisdem scripti, quorum alii libri in alia classe exstent. Ceteroquin libri quidem in diversis classibus

collocati *plerumque* etiam a diversis auctoribus compositi sint oportet; in eandem vero classem relati utrum unius auctoris, an plurium sint, cum dictionis discrimine, tum singularum sententiarum differentia statuendum erit. Sed quintae et sextae classis doctrinae sunt tam cognatae, ut ubi ratio non disertis verbis exponitur, difficillimum sit diiudicatu, in utram singuli libri rectius distribuantur. Accedit, quod libri aliquot sextae classis dictione plurimis quintae classis tam similes sunt, ut in utrisque eundem auctorem aut aemulatorem agnoscas vel coniicias.

Sed priusquam singulos auctores distinguamus, quas logica ratione ad artis formulas disposuimus classes novem priores, eae quomodo ad tempus se exceperint, si ex ipsarum comparatione indagatur, haec fere series est constituenda:

Prima classis. (IX) Bilis et pituitae fluxio morborum causa.

Praedictorum liber primus. — Coacae Praenotiones. — De Locis in Homine.

Secunda classis. (II) Ignis rerum principium.

De Carne. — De Partu septimestri. — De Partu octimestri. — De Superfoetatione. – De Dentitione.

Tertia classis. (I) Aër rerum principium.

De Flatibus.

Quarta classis. (V) Bilis et pituita corporis humani humores primarii.

De Morbis Popularibus liber primus et tertius. — De Morbis liber primus. — De Affectionibus. — De Morbo Sacro. — De Insania. — De Veratri Usu. — De Victu Acutorum. — De Victu Salubri. — Praenota. — Praedictorum liber secundus. — Aphorismi. — De Aëre, Locis et Aquis. — De Insomniis. — De Haemorrhoidibus. — De Fistulis.

Quinta classis. (III) Spiritus et liquor generationis principia.

De Natura Pueri.

Sexta classis. (VIII) Elementa corporis inter se contraria.

De Prisca Medicina.

Septima classis. (VI) Bilis flava et atra, pituita et sanguis corporis humani humores primarii.

De Natura Hominis. — De Humoribus. — De Natura Ossium. — De Corde. — De Corporum Sectione. — De Glandulis. — De Visu. — De Alimento. — De Usu Liquidorum. — De Affectionibus Internis. — De Morbis Popularibus liber secundus, quartus et sequentes. — De Morbis liber secundus et tertius. — De Morbis Mulierum libri duo. — De Natura Muliebri. — De His, quae ad Virginem spectant. — De Sterilibus. — De Vulneribus. — De Iudicationibus. — De Diebus Iudicatoriis.

Octava classis. (VII) Bilis, aqua, pituita et sanguis corporis humani humores primarii.

De Morbis liber quartus. — De Genitura. — De Remediis Purgantibus.

Nona classis. (IV) Ignis et aqua rerum principia.

De Victu Sanorum libri tres.

Si hanc librorum tabulam repetivimus, ut pateret, quid de eorum consecutione sentiremus, tamen nondum omnibus singulis accurate perquisitis, in singulis classibus libros non ad temporis discrimen referre, sed ex argumenti ratione componere tutius duximus. Monendum etiam est, non omnes posterioris classis libros serius videri scriptos; fieri enim potuit, ut qui minor esset natu, doctrinam amplecteretur antiquiorem. Praeterea tenendum est, eodem tempore plures floruisse medicorum scholas; quare in classium serie potius doctrinarum, quam singulorum librorum aetas et consecutio erat observanda. Ne de numerorum usu lectoribus dubitatio exoriatur, disertis verbis eloquor, me posthac ultima classes numerandi ratione ad temporum consecutionem accommodata esse usurum.

Cum omnes, quos recensuimus, libri Hippocrati adscribantur, ut ad certam quisque aetatem referri possit, temporis constituendi fundamentum firmius substrui non potest, quam ipsius Hippocratis aetas. Deinde postquam cognoverimus,

quae ab ipso profecta sint, facilius discernemus, quae sint antiquiora, quae iuniora. Hippocratis vero aetas iniuria adhuc satis definita atque certa videbatur. Sequuntur plerique omnes *eius vitam Sorani* nomine nobis servatam, in qua exstat (ed. Foes. p. 1297 fin.*): *κατὰ δὲ τοὺς Πελοποννησιακοὺς ἤκμασε χρόνους, γεννηθείς, ὥς φησιν Ἰστόμαχος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῆς Ἱπποκράτους αἱρέσεως, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ὡς δὲ Σωρανὸς ὁ Κῶος ἐρευνήσας τὰ ἐν Κῷ γραμματοφυλακεῖα προστίθησι, μοναρχοῦντος Ἀβριάδα, μηνὸς Ἀγριανοῦ ἑκτῇ καὶ εἰκοστῇ, παρ᾽ ὃ καὶ ἐναγίζειν ἐν αὐτῇ μέχρι νῦν Ἱπποκράτει φησὶ τοὺς Κώους.* Codicum lectio si integra est, accuratiorem notitiam vix flagitamus. Sed quae in *Oratione Thessali legati* (ed. Foes. p. 1295) narrantur, a Sorano discrepant; ex huius enim notitia pestis Atheniensis tempore annum aetatis tricesimum tertium non superavit: sin autem Thessalus, vel qui finxit orationem ei adscriptam, de aetate verum memoriae prodidit, tum non modo filia iam Polybo nupta, sed uterque filius adultus erat, ut a patre mitteretur ad artem exercendam. Etiamsi *orationem* suppositițiam habemus, tamen ad veritatis tum cognitae speciem aetate Alexandrina esse effictam ponamus oportet; etenim Erotiani tabula scriptorum genuinorum, quae eam agnoscit, etsi inde usque non repetenda, tamen, cum scripta enumeret *vulgo* pro genuinis habita, quae in ea produntur, post aetatem Alexandrinam ficta esse, non credibile est. Accedit, quod *senatus Atheniensis consultum* in Hippocratis honorem factum, quo respicit oratio, in Catonis quidem majoris**) notitiam venerat. Pro genuinis vero haec documenta accepta non essent, si Hippocratis rebus aliunde notis repugnassent. Nihil huic disputationi tribueremus, nisi chronographorum auctoritas omnium accederet, qui Hippocratem prius natum significant, quam Soranus. Ne de *Georgio Cedreno* disputem, qui *Hist. Comp.* ed. Bas. p. 118 eum Dario Hystaspis regnante percrebescere (*ἐγνωρίζετο*) facit, neve *Georgio Syncello* nimium tribuere videar, qui *Chronogr.* ed. Par. p. 248 bis eius mentionem faciens primo eum ponit, cum Romae Rufus Lartius dictator esset (498) atque Aristides in exilium iret (484), iterum Artaxerxe Longimano regnante

---

*) In locis Hippocratis significandis Foesii editione usus sum anni 1657, recensionem autem adhibui Kühnianam.

**) Plutarch. Cato mai. c. 23. cf. Sprengel Gesch. d. M. Vol. I., 2. 7. 113. p. 267. Quae Cato dixisse fertur, mihi quidem minus ad Epistolas pertinere videntur, quam ad hoc decretum. Epistolas enim plurimas etiam serius fictas suspicor.

(inter 465 et 428), quamquam priorem notitiam ad nostri avum, Gnosidici filium, traxerim, posteriorem de Magno Heraclidis filio intellexerim, tamen ne infirmis, inquam, eiusmodi auctoritatibus nitar, ad *Eusebii Chronicon* provoco, cuius interpretatio ab *Hieronymo* facta Hippocratis gloriam ad Olympiadis octogesimae sextae annum primum,*) Armenica vero ad tertium vel quartum annum refert. Sive hoc tempore ex usu chronographorum aetatis florem de anno quadragesimo esse intelligendum ponimus, sive tum scriptis eum percrebuisse, quod non multo minori contingere potuit, quia non nisi post diuturna itinera et multorum annorum usum et experientiam scribere potuit, ab anno 436 vel 433 non minus quam quadraginta anni videntur numerandi, ut natum esse Hippocratem ante annum 470 ponamus, id quod disertis verbis ex chronographis Graecis antiquioribus testatur *A. Gellius* (N. A. XVII. 21), qui eum Sophocli et Euripidi aequalem, Socrate maiorem natu ponit.**)

Utcunque se res habet, non nimis Sorani notitia a ceterorum consensu abhorret, eoque cum iis convenit, Hippocratem tempore belli Peloponnesiaci celebratum fuisse, id quod Platonis etiam testimonio affirmare licet, qui quidem puer ista tempora attigerat. Quamvis post Athenaeum multi fuerint, qui *Platonis* fidem de temporum et personarum rationibus imminuerent, ea nuper a Boeckhio***) acriter est defensa neque nobis in Hippocratis causa spernenda. *In Phaedro* †) Socrates inducitur disputandi rationem collaudans Hippocratis, medici tum iam notissimi. Ante triginta tyrannos dialogum hunc habitum fingi Stallbaumius ††) docuit, neque ante annum 411 poni posse, Lysiae res affirmant tum Thuriis

---

*) *Democritus Abderites et Empedocles et Hippocrates medicus, Gorgias Hippiasque et Prodicus et Zeno et Parmenides philosophi insignes habentur. Socrates, qui scholam congregavit, plurimo sermone celebratur.*

**) Verba Gellii, postquam de belli Peloponnesiaci temporibus locutus est, sunt haec: „*Itaque inter haec tempora nobiles celebresque erant Sophocles ac deinde Euripides, tragici poetae, et Hippocrates medicus et Democritus philosophus, quibus Socrates Atheniensis natu quidem posterior fuit, sed quibusdam temporibus iisdem vixerunt.*“

***) Index lectionum, quae in univers. litt. Frid. Guil. per. sem. hib. a 1838 — 1839 instituentur. Praef.

†) P. 270. c.

††) P. 194. editionis suae.

Athenas redeuntis.*) Ab anno 411 propius abesse sermonis tempus quam ab anno 404, omnes rationes sumere suadent. Sed utrum Socrates Hippocratem disserentem audiverit, an eius scripta legerit, ex hoc quidem loco non apparet. Dialogus vero *Protagorae* nomine insignitus nos non dubios relinquit, quin Hippocrates eo tempore, quo hic dialogus haberi fingitur, Athenis fuerit. Licere enim, exempli gratia Socrates profert,**) Hippocrati Apollodori filio, quocum colloquitur, Hippocratem Coum mercede conducere, ut arte medica se instituat. Quo anno sermo habitus ponatur, interpretes non consentiunt; sunt, qui ad annum 420 referant, gravissima vero et plurima argumenta iis favent, qui anno 432 Socratem ita colloquentem induci affirmant.***) Inter annum igitur, ne incertis insistamus, 432 et 420 Hippocrates Athenis artem medicam non modo exercuit, sed etiam mercede conductus docuit. Si *orationi Thessali legati* et illi, quam Hippocrates ipse supplex *ad Aram* in Thessalia habuisse dicitur,****) fidem praestamus, non diu antequam patria insula Cos ab Atheniensibus descisceret, Athenis in Thessaliam profectus erat. Descivit vero Cos inter annum 412 et 407.†) Quod Hippocrates, patriae defectione imminente, Athenas reliquisse ab orationum auctoribus narratur, in eo verum esse expressum et per se credibile est, et ex rerum publicarum conditione, quae belli Peloponnesiaci tempore in Graecia obtinebat, fere necessario sequitur. Accedit testimonium ab iis, qui Hippocratis res tractarunt, omnino neglectum. In Vita enim Antiphontis oratoris, quae inter Vitas decem Oratorum Plutarchi nomine traditas legitur (p. 833 D.) illaque, quae apud Photium servata est, (ed. Bekk. II p. 486 cod. 259) hoc exstat: *ἐγράψατο δὲ καὶ κατὰ Ἱπποκράτους τοῦ ἰατροῦ*††) *λόγον καὶ εἷλεν ἐξ ἐρήμου*†††) (*ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος,*

---

*) Ibid Praef. h. d. p. XXIV.

**) P. 311 b.

***) Praef. huius dial. p. 17.

****) Legitur utraque ad Calcem operum Hippocr. Ed. Foes. p. 1291.

†) Cf. Thuc. VIII. 44. 55. 108. Xenoph. Hell. I. 5. 1. Diod XIII. 69. Ex Xenophontis loco Herbstius, cui eum debeo, effici arbitratur, non ante annum 407 Coum insulam descivisse.

††) In Plutarchi codice uno additur *στρατηγῶν*, in ceteris *στρατηγοῦ*, quod plurimi probarunt, quamquam huic lectioni adversatur Hippocratis praetoris historia Thuc. IV. 66—69. 90. 94. 101. Apud Photium neutrum exstat.

†††) Vocabulum *ψήφισμα*, quod cum plurimis h. l. omisit novissimus editor, Westermann, si retinetur, temporis definitio ad plebiscitum pertinet de Antiphontis morte factum,

ἐφ᾽ οὗ οἱ τετρακόσιοι κατελύθησαν.) Quae narratio sive ad Antiphontem Sophili filium pertinet, qui a. 411 supplicio affectus est, sive ad Lysionidae filium, quem sophistam nuncupant, qui a triginta tyrannis necatus est, si cum historia belli Peloponnesiaci componitur, Hippocratem Athenis civitate donatum,*) cum patriae defectio immineret, Athenis relictis, Thessaliam petivisse**) vel sui vel patriae consulturum, cum vere defecisset, absentem accusatum et capitis esse damnatum, veri est simillimum.

De ipsius iam scriptis acturo mihi se offerunt ex omnium criticorum consensu ut maxime genuini *Morborum popularium liber primus et tertius, Aphorismorum libri sex priores, de Aëre, Locis et Aquis,****) de Victu in Morbis Acutis* atque *de Capitis Vulneribus*†) *libri.* Criticorum iudicio classium, quod fecimus, discrimen suffragatur, quod omnes illi libri in una eademque classe reperiuntur propter consensum in doctrina observatum. Aequalium scriptorum nullus praeter *Platonem* Hippocratis nomen exhibet, neque ille certum librum ei adscribit, sed, quod fere maioris est momenti, summam doctrinae rationem a plurimis eius temporis doctoribus diversam laudat, quae cum illis libris conferatur, atque quibus ex ceterorum librorum numero accommodari possit, quaeratur oportet. Exstat vero

---

id quod mihi quidem verisimilius videtur, atque Lysionidae filius tempore non indicato Hippocratem accusavit, quem etiam Socrati inimicum novimus teste Aristotele apud Diogenem Laërtium II. 46.

*) Honores publicos Athenis ei esse decretos, orationi Thessali assentitur Decretum Atheniensium illud Catoni notum, de honorum autem ratione non omnino consentit; quodne genuinum sit, an utrumque suppositium, discernere non audeo.

**) Constat, eo etiam Gorgiam sophistam esse profectum. Plato Menon. p. 70. b. Hippocratem iam antea ibidem esse commoratum, Morborum Popularium libri testantur, etiam sepultum, Sorano credendum.

***) De hoc libro non quidem ipse dubitavit, inter genuinos enim refert, sed dubitandi copiam fecit Hallerus, monens ab Europaeo scriptum videri, sed secum non reputavit maximam vitae partem Hippocratem degisse in Europa.

†) Hunc librum in classium dispositione ad chirurgicos retuli, quippe qui doctrinam quamdam non diserte prodant; monui autem fieri potuisse, ut illi chirurgici cum aliarum classium libris ab eodem auctore editi essent, id quod dictione aliisque argumentis cognoscitur, quibus adducti critici uno ore omnes hunc librum crediderunt genuinum.

locus ille gravissimus in *Phaedro* p. 270. c: *οὐδὲ περὶ σώματος [δεῖ τι πείθεσθαι] ἄνευ τῆς [τοῦ ὅλου φύσεως,]* et deinde: *ὧδε δεῖ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως· πρῶτον μὲν, ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν, οὗ πέρι βουλησόμεθα εἶναι αὐτοὶ τεχνικοὶ καὶ ἄλλον δυνατοὶ ποιεῖν, ἔπειτα δέ, ἐὰν μὲν ἁπλοῦν ᾖ, σκοπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τίνα πρὸς τί πέφυκεν εἰς τὸ δρᾶν ἔχον ἢ τίνα εἰς τὸ παθεῖν ὑπὸ τοῦ, ἐὰν δὲ πλείω εἴδη ἔχῃ, ταῦτα ἀριθμησάμενος, ὅ περ ἐφ' ἑνός, τοῦτ' ἰδεῖν ἐφ' ἑκάστου, τῷ τί ποιεῖν αὐτὸ πέφυκεν ἢ τῷ τί παθεῖν τοῦ.*

Inprimis igitur Hippocrates flagitavit, ut singulae res in nexu cum universo spectarentur, in singularum vero rerum natura primum quaereretur, utrum simplices aut compositae essent, si simplices, ut potestas earum cognosceretur, quid et in quo valeret et ad efficiendum et ad patiendum, si compositae, ut de singulis, quae constituerent, partibus, eadem disquisitio haberetur.*) Illam partium ad universum relatarum rationem, quam Hippocrates flagitavit in singulis rebus contemplandis, facile agnoscimus in *Morborum Popularium libro primo et tertio, in Aphorismorum libro tertio atque in libro de Aëre, Locis et Aquis.* Simplicium et compositarum rerum distinctio atque potestatis ratio cum ad efficiendum, tum ad patiendum, quamquam ab illis libris non alienae sunt, magis tamen in ceteris apparent scriptis, quae pro genuinis habuerunt omnes.

Hos libros Hippocratis esse genuinos maximo etiam est argumento, quod Plato doctrinam iis contentam ipse amplexus est, quippe qui eodem modo e bile et pituita morborum causam repetat. Exempli gratia sufficit locum adscribere e *Reip.* libro VIII p. 564 b: *τούτω τοίνυν [τὸ τῶν ἀργῶν τε καὶ δαπανηρῶν ἀνδρῶν γένος, τὸ μὲν ἀνδρειότατον — τὸ δ' ἀνανδρότερον] ταράττετον ἐν πάσῃ πολιτείᾳ ἐγγι-*

---

*) Totum locum nuper accuratius examinavit Fr. Sim. Meixner: Neue Prüfung der Echtheit und Reihenfolge sämmtlicher Schriften Hippocrates des Grossen (II). Des ersten Theiles erste Abtheilung. München 1836. Zweite Abtheilung 1837. Huius disquisitionis partem secundam, cui de Hippocratis libris iudicium habendum auctor proposuit, nondum in lucem editam esse doleo: in universum enim loci Platonici interpretatio, quam prior pars solam continet, nobis semper placuit, quamquam auctor ex nostra quidem sententia Hippocrati dialecticam subtilitatem tribuit atque idearum rationem, a quibus omnino abhorret. Ceterum ne id quidem pro certo habeo, Plato de Hippocratis utrum scholis an libris potius cogitaverit, quamquam cum disserendi rationem prodat, eam in libris quoque apparere oportet.

γνομένῳ, οἷον περὶ σῶμα φλέγμα τε καὶ χολή.*) Sed certorum etiam librorum si non mentio, attamen significatio apud Platonem reperitur, quam ceteris testimoniis, quae supersunt, antiquissimis adiungamus.

Popularium Morborum liber tertius exhibet aëris constitutionem pestilentem, quam si veteres recte ad pestem illam belli Peloponnesiaci retulerunt, id quod omnium consensu esse factum, probari potest**), temporis significationem habemus accuratissimam, sed cum medici, quos de hac re consului***) et antiquitatis et artis suae peritissimi non assentiantur, hoc argumento niti minus audeo. Neque indigemus hoc argumento, comparatione enim instituta ex ipsis libris constat, id quod infra demonstrabimus, *Morborum Popularium librum primum et tertium* scriptos esse ante *tertium Aphorismorum*, hunc autem ante *librum de Aëre, Locis et Aquis*. Ad tria vero haec opera respicere videtur Plato de Rep. VIII p. 563 e: καὶ τῷ ὄντι τὸ ἄγαν τὶ ποιεῖν μεγαλὴν φιλεῖ εἰς τοὐναντίον μεταβολὴν ἀνταποδιδόναι, ἐν ὥραις τε καὶ ἐν φυτοῖς καὶ ἐν σώμασι καὶ δὴ καὶ ἐν πολιτείαις οὐχ ἥκιστα. Idemque de Legg X p. 906: φαμὲν δ' εἶναι — τὴν πλεονεξίαν ἐν μὲν σαρκίνοις σώμασι νόσημα καλούμενον, ἐν δὲ ὥραις ἐτῶν καὶ ἐνιαυτῶν λοιμόν, ἐν δὲ πόλεσι καὶ πολιτείαις — ἀδικίαν. *Morborum Popularium librum primum et tertium* in parva illa Grammati-

---

*) Cf. Tim. p. 82 sqq. Locos, ex quibus Platonis de morborum origine et curatione sententia cognoscitur, docte composuit J. R. Lichtenstädt, Platons Lehren auf dem Gebiet der Naturforschung und der Heilkunde. Leipzig 1826. p. 125 in sectione, quae inscripta est: Lehren aus dem Gebiete der allgemeinen Pathologie, et pag. 140 in ea, quae inscripta est: Lehren aus dem Gebiete der allgemeinen Therapie.

**) Diserte hunc consensum testatur Galenus de diffic. respir. II. 7. p. 181. Bas. III. p. 254. Chart. VII. p. 850. Kühn VII., affirmant Lucretius VI. 1165 et Diodorus XII. 45 et 58. Si quid tribuimus Diodori et Galeni auctoritati, dubitare non possumus, de pesti illa Atheniensium ab aliis etiam memoriae proditum esse, id quod de Democrito et Democriteis affirmaverim (cf. Diog. Laert. IX. 47. Gellius IV. 13. X. 12. Plut. Quaest. Symp. VIII. 9. 3.) Tum si concedendum, a Diodoro et Hippocrate (Epid. III. s. 2.) eundem annum respici, nil aliud restat, quod credamus, nisi ab Hippocrate eiusdem anni pestilentis morbos esse observatos in regione, ubi pestis quidem illa Atheniensis non eruperit, morbi vero varii ex parte similes invaluerint.

***) Sunt medicinae Doctores C. T. Flemming Archiduci Megalopolis a consiliis summis secretis medicis et S. L. Steinheim, quibus viris maximam habeo gratiam, quod meam de peste illa scriptionem diligenter examinaverunt.

corum tabula fuisse scimus, quae scripta inprimis genuina contineret, eosque commentariis esse instructos ab Herophili et Erasistrati discipulis secundo ante Christum saeculo. *Tertium Aphorismorum librum* excerpsit Aristoteles,*) de omnibus commentatus est Herophilus**) Post eum plurimi de Aphorismis commentati sunt, neque tamen ullum exstat testimonium eo antiquius, quo diserte memoratur hoc Hippocratici ingenii documentum ab omnibus semper tanti aestimatum, ut si extremam partem et nonnulla decreta, quae interposita videantur, excipias, nemo unquam dubitaverit.

Summam doctrinae Hippocraticae significavit Euripides in fragmento, teste Clemente Alexandrino Stromat. VI. ed Lugd. Bat. 1616. p. 451. ed Ocon. p. 627: *Ἀλλὰ καὶ τοῦ ἰατροῦ Ἱπποκράτους „Ἐπιβλεπεῖν οὖν δεῖ καὶ ὥρην καὶ χωρὴν καὶ ἡλικίην καὶ νούσους“ γράφοντος, Εὐριπίδης ἐν ἑξαμέτρῳ τηρήσει***) φησίν·*

ὅσοι δ'ἰατρεύειν καλῶς,†)
πρὸς τὰς διαίτας τῶν ἐνοικούντων πόλιν,
τὴν γῆν τ'ἰδόντας τὰς νόσους σκοπεῖν χρέων.

Ipsa Hippocratis verba, quae Clemens affert, quamquam me legisse memini, tamen ubi legantur, memoria non suppetit, neque magni est momenti, cum neque omnia respiciat Euripides, quae in isto loco proferuntur, neque omnia, quae Euripides affert, ibi memorantur. Itaque Grunerus Euripidis verba ad *librum de Aëre, Locis et Aquis* spectare, non iniuria credidit, neque enim in alio libro terrae natura et victus ratio tam arcte coniunctae et iisdem fere verbis significatae reperiuntur. Euripides vero tribus annis postquam Athenas reliquerat, in Macedonia a. 407 mortuus est. Nisi forte ex ultima, quam docuerat, tragoedia, illud depromptum ponamus, pluribus annis ante annum 410 Hippocratis *librum de Aëre Locis et Aquis* Athenis omnium manibus versatum aut eadem de re ab Hippocrate publice disputatum esse videmus. Accuratius tempus editionis

---

*) Initio primi libri Problematum.

**) Galen. Comm. ad Aph. VII. 70.

***) In his vocibus *ἑξαμέτρῳ τηρήσει* profecto depravatum latet tragoediae nomen; nihili est emendatio Dindorffii, qui omisso *φησί* scribit *ἑξαμέτρῳ χρήσει.*

†) Sylburg in Annott ad h. l. scribendum proposuit: *ὅσοι δ'ἰατρεύειν θελήσουσιν καλῶς.*

definire possumus ope Aristophanis Comici, qui cum inter Nubium cultores recenseat medicos, oportet huius libri vel doctrinae eo contentae notitiam habuerit. Versus Nubium, quo medici perstringuntur, est 332.

πλείστους αὗται [νεφελαὶ] βόσκουσι σοφιστάς,*)
Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας·
κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας,
οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἄργους, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν.

Quibus in versibus scholiastes notari refert voce ἰατροτέχνας Hippocratis *de Aëre, Locis et Aquis librum*, neque iniuria, quamquam recentiores interpretes, cum altum de hac re silentium teneant, dubitasse videntur. Paucis enim in medicorum libris nubium mentio fit, nostri vero auctor**) non modo §. 48 earum naturam diserte exponit, sed etiam ab initio §. 8, quod medicinam ex meteorologia pendere contendit, se excusandum putavit. Inter sophistas, qui inprimis perstringuntur, Hippocratem ab Aristophane referri potuisse, eo minus est dubitandum, quia illum sophistarum ratione mercede conductum artem suam docuisse novimus. Etiamsi igitur Aristophanes simul in alios medicos invectus sit, quod auctori *libri* de *Natura Pueri* accidisse postea docebimus, tamen nihilominus apparet, *librum de Aëre, Locis et Aquis*, quippe qui primus artem medicam ad meteorologiam retulerit, vel eius doctrinam, quod fere idem valet, Athenis percrebuisse ante Nubium fabulam doctam i. e. ante annum 424 vel 421.***) Perpendentibus nobis, eiusmodi librum qui composuerit, ei multorum annorum usum et

---

*) Quaeritur, utrum quatuor hominum genera distinguantur, sophistae, harioli, medici atque homines delicatuli, ut vulgo interpungunt, an tria sophistarum genera, ut Hermannus voluit. Fieri etiam potest, ut quatuor quidem genera distinguantur, bina autem arctius cohaereant, atque sicuti de sophistis et hariolis, qui cum colonia Thurios deducti tum magna ex parte redierant, significavit Herbstius (in Vita Protagorae p. 107. Philologisch-historische Studien. Hamburg 1832,) eodem modo medicis subiungantur homines delicatius vestiti, sive ipse Hippocrates, id quod memoriae proditum est in Vita Sorani, sive alii medici corporis cultui singularem curam tribuebant, quod consuetum fuisse tradidit *liber de Decenti Medicorum Habitu* ex isto tempore servatus.

**) Locos huius libri significavi secundum paragraphos editionis meae, Hamburgi 1833.

***) Vid. argumentum antiquum et quae de eo disputata sunt in edit. Inverniz. Vol. IV. p. 16. cf. Edit. Hermanni Praef. p. XIII. sqq.

experientiam opus fuisse, cuius signa luculenta exstent *in Morborum Popularium libro primo et tertio atque Aphorismis*, haec opera ante *librum de Aëre, Locis et Aquis* composita esse apparebit. Gravissimum argumentum praebet *Aphorismorum liber tertius*, qui decreta profert profecta ex iis, quae observata sunt in *Morborum Popularium libris*, eademque magis exculta et accuratius definita aliisque aucta repetuntur in *libro de Aëre, Locis et Aquis*. Itaque *libri tertii Morborum Popularium sectionem secundam* anno pestilenti 429 A. C. scriptam esse extra Athenas, ut opinor, in Thessalia, ubi degisse dicitur in *Thessali oratione*, antequam Athenas proficisceretur, si verum est,*) ante hunc annum in Thraciae littoribus atque regionibus adiacentibus, praecipue Thasi insula scriptae sunt *Librorum de Morbis Popularibus primi et tertii partes reliquae.*

Praenotorum notitia, quod sciam, non servata est antiquior, quam ex libro, quo Herophilus**) ea aut interpretari aut redarguere studuit. Sunt in hoc *libro Praenotorum*, quibus repugnent aliorum librorum sententiae, quae repugnantia illum librum ante hos scriptum esse docet.***) Initio enim libri aliquid divini in morbis inesse posse concedit: *ἅμα δὲ καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν*, quam sententiam in *libro de Aëre, Locis et Aquis* §. 107 et 111, *et de Morbo Sacro* ab initio reiicit atque refutat. Quod vero sua ipsius sententia, quam falsam agnoverat, reiecta, libenter et ingenue profitebatur, quae veriora vidit, insigni laudi ei habebatur.†) Alia accedunt argumenta, quae hunc librum priori vitae tempori vindicent. In extremo enim libro, cum quae observasset, omni tempori et terrae communia praedicet, ad Libyam, Delum

---

) Supra hoc conjecimus p. 17 et 20 N) **).

**) Galen. Comm. I. in h. l. p. 120. Bas. V. p. 589. Chart. VIII. p. 20. Kühn XVIII. 2. *τὰ κακῶς ὑπὸ Ἡροφίλου γεγραμμένα πρὸς τὰς Ἱπποκράτους προγνώσεις.*

***) Ita etiam Galenus judicavit in libro *de Diebus judicatoriis*. p. 440. Bas. III. p. 484. Chart. VIII. p. 872. Kühn IX, *δέδεικται γὰρ ἡμῖν πολλάκις, ὡς πρότερον γέγραπται τῶν Ἐπιδημιῶν βιβλία τοῦ τε προγνωστικοῦ καὶ τῶν Ἀφορισμῶν, ὅτι δύναμιν ὑπομνημάτων ἔχει.* Cf. p. 781. Kühn. IX.

†) Celsus de Med. VIII. 4. Locus quidem, quem respicit, legitur in Epidem. l. V. Foes. p. 1150. qui liber dubiae est auctoritatis, sed etiamsi nihil tribuamus eiusmodi testimoniis, rem esse veram, tota scriptorum ratio docet. Cf. Quinct. III. 6. 64.

et Scythiam provocat, quod non fecisset, nisi ipse in his regionibus degisset, id quod verba, si accurate examinantur, diserte produnt: *χρὴ—καὶ μὴ λανθάνειν, ὅτι ἐν παντὶ ἔτει καὶ πάσῃ ὥρῃ τά τε κακὰ κακὸν σημαίνει καὶ τὰ χρηστα ἀγαθόν, ἐπεὶ καὶ ἐν Λιβύῃ καὶ ἐν Δήλῳ καὶ ἐν Σκυθίῃ φαίνεται τὰ προγεγραμμένα ἀληθεύοντα σημεῖα.* Haec cum non in terris, quas nominat, scripta videantur, eius autem regionis, ubi degit, mentionem non faciat, non iam diu ibi commoratum esse suspiciamus. De alia autem terra vix aliquis cogitet, atque de insula Thaso vel Thraciae littore, ubi variam aëris temperiem et terrarum situm atque naturam postea indagavit, cuius rei inquirendae consilium hoc ipso libro quasi promittit: *χρὴ δὲ καὶ τὰς φορὰς τῶν νουσημάτων ἀεὶ ἐπιδημεύντων ταχέως ἐνθυμεῖσθαι τήν τε τῆς ὥρης κατάστασιν.* Si conjecturae locus datur, veri non dissimile videtur, Hippocratem patria relicta primum Scythiam petiisse, ibi plures annos commoratum Delum devertisse, postea in Aegyptum et Libyam contendisse, tum Thasi domicilium habuisse, inde in littora Thraciae, Hellesponti, Propontidis atque in Thessaliam excurrisse. Ab anno 427 inde usque ad annum fere 410 vel 408 Athenis habitavit,*) ibi cum philosophis consuetudine iuncta, eorum quae observaverat atque expertus erat, iustam rationem et viam invenire studuit. Etenim quo maturius scriptus est liber, eo minus rationibus indulget.

Hoc maxime affirmatur libro *de Victu Acutorum,* quem serius scriptum ostendunt et multorum aliorum et ipsius auctoris sententiae et libri priores, qui in eo spectantur. In eodem etiam libro magis quam in prioribus internae morborum causae exponuntur.**) Genuitatis testis locuples est Erasistratus, qui ceteroquin Hippocrati non admodum amicus hunc librum potissimum est secutus in *libro de Febribus* auctore Galeno in Comment. I. in h. l. p. 40. Bas. V. p. 8. Chart. XI. p. 435 Kühn XV., ubi leguntur haec: *τοῦτ' οὖν ἐστὶν αὐτὸ τὸ προβαλλόμενον ὑπὸ Ἱπποκράτους — εἴρηται δὲ καὶ ὑπὸ Ἐρασιστράτου κατὰ τὸ πρῶτον βιβλίον περὶ πυρετῶν — ἀκολουθήσαντος τῷ Ἱπποκράτει πάντῃ.****)

---

*) Cf. quae supra disputavimus p. 17.

**) Erat etiam, ubi Erasistratus dissentiret. Vid. Comm. III. in h. l. p. 83 Bas. V. p. 105. Chart. XI. p. 703 Kühn XV.

***) Huic libro aliena addita esse, et codicis manuscripti indicant et Galenus annotavit Comm. IV. prooem. p. 87 Bas. V. p. 116 Chart. XI. p. 732 Kühn XV. Hoc non satis animadvertit Hecker, Gesch. d. Heilk. I. p. 137.

De ceteris libris, quos, cum eandem doctrinam contineant, ad quintam classem retuli, in tanta et veterum et recentiorum criticorum discrepantia difficillimum est iudicatu. Prae ceteris genuinus videtur *de Morbo Sacro liber*, qui et sermone et doctrina proxime accedit ad libros *de Aëre Locis, et Aquis* atque *de Victu Acutorum*. Neque quisquam veterum de genuina eius origine dubitavit praeter Galenum, qui in libris quidem superstitibus nusquam auctoris nomen addidit, codicibus autem huius libri manuscriptis haec addendi copiam fecit: *οὐ γνήσιον Ἱπποκράτους, ἀξιολόγου δὲ ἀνδρὸς, φησὶν ὁ Γαληνὸς, καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν, Ἱπποκράτους δὲ οὐδὲν ἐν αὐτῷ οὔτε κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἑρμηνείας, οὔτε κατὰ τὸ τῆς διανοίας ἀκριβές.* Nihilominus Dietzius ab ipso Hippocrate librum esse profectum demonstrare ausus est in editione, quae prodiit Lips. 1827. p. 78 sqq., cui omnino assentiens non possum non monere, quod de doctrinae ratione exculta atque mutata disputavimus, id non minus ad dictionem pertinere,*) neque omnino verum esse, quod critici exposuerint de eius brevitate, concinnitate atque singulari sermonis pondere. Progressum etiam in scribendi facultate et exercitationem optimum dicendi magistrum si agnoveris in comparandis libris, quae ad temporis rationem iam disposuimus, neque dubitabis, *librum de Morbo Sacro* copiosius scriptum post omnes, quos recensuimus, esse editum.

Ab eadem ratione et disserendi et loquendi non procul abest *de Morbis liber primus*, quamquam si est Hippocratis, prius scriptus sit oportet quam *de Morbo Sacro liber*.**) Sed ne quem in errores inducam, ingenue confiteor, hunc librum accuratius examinari atque indagari necessarium esse. Similis est ratio *libri secundi Praedictorum*, *librorum de Victu Salubri* et *de Affectionibus*, quos quidem non Hippocratis esse certius affirmaverim, cum disserendi ratione et dictione nonnihil differant, quamquam ea observatur similitudo, quae eos tempori belli Peloponnesiaci vel aetati paullum inferiori vindicet. Quae quidem observatio affirmatur eo, quod *de Affectionibus liber* diserte tribuitur Polybo Galen. Com. in Aphor. l. VI. 1. p. 8. Kühn XVIII. 1. In codicibus etiam adscriptum est: *τοῦτο δὲ ὁ Γαληνὸς τοῦ Πολύβου λέγει εἶναι.* Cf. Com. II. s. 38 de Victu Acut. p. 587. Kühn XV. *Librum* vero *de Victu Salubri* a Polybo scriptum esse,

---

*) Galen. Com. in lib. V. Aph. 64. pag. 877. Kühn. XVII. 2.

**) Athenis librum esse scriptum, mensium ratio docet. p. 448.

pauci tantum dubitasse videntur, teste Galeno Com. II. de Nat. Hom. init. p. 108. Kühn XV. et Com. de Victu Sal. init. p. 175. Kühn XV. Hic liber in vetustis exemplaribus annexus legebatur alteri parti *libri de Natura Hominis* ab Aristotele Polybo adscriptae. *Praedictorum liber secundus* an eiusdem sit, in dubio adhuc relinquendum.

De Vulneribus Capitis liber testimoniis caret Erotiano antiquioribus, nisi Celsum admittere velis, qui tamen eum non diserte Hippocratis nomine affert, sed multa ex eo excerpsit. Disserendi ratio est illa a Platone Hippocrati tributa, scribendi genus concisius illud, quod Hippocratis adolescentis et viri fuisse coniecimus, cum provectiore aetate copiosius scripsisse videatur, nisi quando scribendi consilium eandem brevitatem flagitaverit, ut in *Aphorismis*, iisque operibus, quae non nisi disposuit postea elaboranda, sed morte interceptus non absolvit.

Huius generis videtur esse *liber de Officina Medici*, quippe qui auctoritate nitatur satis antiqua, neque iuste a Fabricio inter dubios referatur. Neque enim quisquam alius aut veterum aut recentiorum dubitavit praeter hunc et Grimmium,*) qui abutitur Galeni auctoritate. Qui cum animadvertat, librum post Hippocratis mortem esse editum, a filiis vero non recensitum, eius auctoritatem non imminuit, sed auget. (Com. II. in h. l. s. 26. p. 685. Bas. V. p. 62. Chart. XII. 790. Kühn XVIII. 2. et Com. III. s. 28. p. 697. Bas. p. 95. Chart. p. 875 Kühn.) Neque parvam libro auctoritatem addunt aliquot Erasistrati et Herophili discipuli, qui de eo commentati sunt, Zeuxis, Heraclides Tarentinus, Bacchius, et praeterea Asclepiades non multo iunior. Accedere videtur testimonium Dioclis Carystii multo gravius, qui ad imitationem huius libri scriptum similis argumenti eadem inscriptione insignivit.**) Hoc vero testimonium evanescit accuratius perspectum. Nam levi quasi brachio critici hanc rem tractarunt falsa Galeni interpretatione vel nimia inter legendum incuria decepti. *Liber* enim *de Articulis* in antiquissimis codicibus cum illo *de Fracturis* Galeni tempore unum opus efficiebat et ipsum *de Officina Medici* inscriptum et Hippocrati primo, Gnosidici filio, attributum,***)

*) Hippocrates Werke übersetzt. III. p. 555.

**) Galen. Com. I. in h. l. p. 661. Bas. V. p. 1. Chart. XII. p. 629. Kühn. XVIII. 2.

***) Galen. Com. I. in l. de Fract. p. 525. Bas. V. p. 153. Chart. XII. p. 323. Kühn XVIII. 2. Pallad. Com. in h. l. in edit. Hippocr. Foes. p. 917.

quod cum minore *libro de Officina Medici* confundentes, hunc Hippocrati primo adscribi opinati in dubium vocarunt Fabricius (in Bibliotheca Graeca I. c. 28; §. b. ed. Hippocr. Kühn Praef. p. CXVIII.) et Grunerus (Cens. libr. Hipp. p. 71). Dioclem vero, cum suum *librum de Officina Medici* inscriberet, non ad minorem Hippocratis librum huius nominis respexisse, sed ad opus illud maius, propterea veri est simile, quod ex posteriore eius parte i. e. ex *libro de Articulis* nonnulla deprompsit. Eo pertinet vovabulum *ἄμβη*, quod in libris Hippocratis nullibi legitur, nisi in *libro de Articulis* p. 783: *ἄμβην δὲ ἐχέτω μικρὸν ὑπερέχουσαν ἐπὶ τῷ ὑστάτῳ τοῦ περιφερέος ἐν τῷ μέρει.* Ad hunc locum spectat longa Erotiani (p. 86) disputatio, in qua leguntur etiam haec: *Διοκλῆς δὲ ἐν τῷ κατ' ἰητρεῖον ὑπόκοιλόν τινα χώραν.* Galenus*) etsi Dioclem non appellat, neque ceteros affert, quorum interpretationem Erotianus servavit, tamen eorum sententias novisse videtur, quarum apud utrumque summa est, formam *ἄμβη* esse Jonicam, *ἄμβων* vero Atticam. Eandem, quam in usu fuisse Rhodiis Bacchius refert apud Erotianum, etiam Doriensibus vindicaverimus. Quomodo in usum suum verterit Diocles libros Hippocratis, ratio docet, quae intercedit inter eundem *librum de Articulis*, atque Dioclis *de Fasciis scriptum*, quam novimus ex Galeni Comm. III. s. 23. in h. l. (p. 615 Bas. V. p. 376 Chart. XII. p. 519 Kühn XVIII. 1.); ubi ad haec Hippocratis verba: *ἀνέλκειν τὴν κλίμακα καὶ πρὸς τύρσιν τινὰ ὑψηλὴν ἢ πρὸς ἀέτωμα οἴκου*, Galenus observat: *ὅτι δὲ καὶ ἡ τύρσις πύργον σημαίνει, μάρτυς ἀξιόπιστος καὶ ὁ Διοκλῆς ὁ Καρύστιος· ταύτην τὴν νῦν εἰρημένην λέξιν παραφράζων ἐν τῷ περὶ ἐπιδέσμων βιβλίῳ κατὰ τόνδε τὸν τρόπον ἔγραψε· ἀνέλκειν δὲ τὴν κλίμακα πρὸς πύργον ὑψηλὸν ἢ οἰκίας ἀετόν.***)

*) Galen. Comm. I. s. 19 in h. l. p. 584 Bas. V. p. 301 Chart. XII. p. 340 Kühn XVIII. 1. cf. Comm. II. s. 2 in l. de Off. Med. p. 676 Bas. V. p. 38 Chart. XII. p. 728 Kühn XVIII. 2. Conferatur etiam Apollonii Cittiensis Commentarius in h. l. I. editus a Dietzio (Scholia in Hippocratem et Galenum Vol. I. p. 10), ubi leguntur ex Bacchio excerpta haec: *ἀναγέγραπται δὲ καὶ, ὡς ὁ Δημόκριτος εἴη καλῶν τῆς ἴτυος τὴν τῷ κοίλῳ περικειμένην ὀφρὺν ἄμβην.* Neque negligendum, quod ipse addit: *ἔδει δὲ ἱστορηκότα τοῦτο κατακεχωρικέναι, ὅτι Κῷοι τοὺς τῶν κλιμάκων ἀναβαθμοὺς ἄμβωνας καλοῦσιν, ὥστ' εἰρῆσθαι τὴν ἐν τῷ ξύλῳ ὑπεροχὴν τοιαύτην εἶναι* etc.

**) Editiones habent *δετόν*, quod nullius est sensus; *ἀετὸν* esse legendum, idem quod *ἀέτωμα*, nemo dubitabit, qui perpenderit, quam facile pro *ΑΕΤΟΝ* falso legeretur *ΔΕΤΟΝ*.

Praeter Dioclem et Apollonium Cittiensem in hoc *de Articulis libro* interpretando versati fuerunt alius quidam Apollonius natu maior, Bacchius, Zenon atque Erasistratus.*) Quorum auctoritas quamvis magna sit ad librum Hippocrati vindicandum, atque accedant Galeni et Palladii testimonia, quae affirment, neminem de genuina origine dubitasse praeter eos, qui hunc librum cum illo *de Fracturis* inscriptione *de Officina* Medici coniunctum ad Hippocratem primum, Gnosidici filium referrent,**) tamen tantae occurrunt difficultates, si quis librum diligentius examinaverit, ut Grunerus***) et Grimmius****) iure eum Hippocrati secundo abiudicarint, nedum primo concesserint. Corporis enim humani structuram atque partes auctor multo accuratius perscrutatus descripsit, quam in ullo genuino scripto factum est. Musculos*****) enim et glandulas†) omnium medicorum, qui nobis innotuerunt, primus agnovit, atque arteriarum facit mentionem, de venarum vero et arteriarum,††) sicuti de glandularum natura alibi se exposuisse profitetur. Haec ipsius, ad quae provocat, scripta agnovisse nobis videmur in libellis, qui supersunt *de Corde*†††) atque *de Glandulis* inscripti. *De Glandulis librum*, qui exstat, eiusdem auctoris esse, Galenus††††) quidem negavit, sed nullo alio argumento motus nisi perfectiore anatomiae ratione, aliena illa ab Hippocrate, quam in libro *de Articulis*, quem genuinum putat, eandem non animadvertit, quare eius in hac re iudicium nihil valere potest. Sed quid faciendum in tanta rerum perturbatione! Vix aliter controversia potest solvi, nisi ponamus,

---

*) Erotianus p. 86. Mirum est quam festinanter laboraverit Galenus commentarios de hoc libro, quippe ceteroquin doctissimus hic nullum adhibuerit antiquiorem commentarium neque observaverit magnas difficultates, quas praebet liber.

**) Galen. Com. I. de Victu Acut. s. 17. p. 456. Kühn XV.

***) In Censura libr. Hipp. p. 179.

****) Hippocrates Werke Vol. III. p. 565.

*****) Ed. Foes. p. 797. Kühn III. p. 171. Foes. 799. Kühn p. 173. Foes. p. 780. Kühn p. 136.

†) Foes. p. 788. Kühn p. 152.

††) Foes. 809. Kühn p. 195.

†††) Hoc in libro docetur, potum defluere in pulmones, quam doctrinam Plato recepit in Timaeo p. 70. c. altius tamen, opinor, repetendam. Cf. Gell. XVII. 11 et Interpretes ad h. l.

††††) Com. I. in h. l. s. 45. p. 591. Bas. V. p. 314. Chart. XII. p. 379. Kühn XVIII. 1.

aut ipsum Hippocratem Heraclidis filium in senectute accuratiorem anatomiae notitiam sibi parasse, sive in corpora resecanda ipse incubuerit, sive ab aliis huius artis progressus acceperit, aut Hippocratem quendam iuniorem, sive Thessali sive Dracontis filium (nam de nomine auctoris non dubitandum videtur in tanto tot scriptorum consensu) haec scripta edidisse, priusquam Diocles de iisdem rebus libros scripsisset, id quod mihi placuit.*) Iam facile intelligitur, multo minus Hippocratis magni avum, Gnosidici filium, totius *de Officina Medici operis maioris* auctorem fuisse,**) cum praesertim eaedem res, quae in priore parte, vulgo *de Fracturis* inscripta, tractatae sunt, in posteriore *de Articulis* inscripta repetantur aliaque ratione tractentur. Si quid igitur huic opinioni tribuendum, nil nisi prior operis pars *de Fracturis* ad Gnosidici filium referri potest, quod quidem iure fieri videtur, siquidem in ea illi anatomiae progressus non apparent, nisi quis musculorum commemoratione offenditur (p. 752 et 757), quamquam in hoc libro, sicuti in *libro de Arte* (p. 6.) vocabuli (μῦς) usus de articulorum partibus carnosis globuli forma praeditis ad Homeri***) exemplum effectus videtur, in *libro de Articulis* vero de aliis etiam corporis partibus latius patet. Sed nobis tamen scrupulum iniicit et dubitationem movet maiorem oratio concinnior et politior, quam quae istis temporibus concedi possit. Accedit, quod impugnantur medici rationem affectantes subtiliorem et doctiorem abhorrentem illam a prisci temporis simplicitate.

De Vectiario accuratius disquirere longum est, sufficiat hoc loco monere, hunc librum plurimis excerptum videri ex libris *de Fracturis* et *de Articulis*, quorum cum posteriore convenit in perfectiore anatomiae ratione. Huic in libris manuscriptis additur *libellus de Ossium Natura* simili ratione ex aliis libris conflatus. Toti enim loci ad verbum repetuntur ex *libro de Locis in Homine*, ex altera parte *libri de Natura Hominis* atque ex *secundo Morborum Popularium libro*.†)

---

*) De Dioclis aetate accuratius traditum non invenio, quam quod non diu post Hippocratem, ante Praxagoram Athenis floruisse dicitur. Celsus de Med. Praef. Plin. H. N. 26. 2. b. Galen. Introd. c. 4. p. 372. Bas. IV. p. 363. Chart. II. p. 683. Kühn XIV. Idem de dissect. matric c. 10. p. 213. Bas. I. p. 282. Chart. IV. p. 903, Kühn II.

***) Il. XVI. v. 315. cf. Eustath. et Heyne ad h. l. et XXI. 394.

†) Foes. Oecon. Hipp. et Erot. s. v. τόνος.

E ceteris libris chirurgicis qui quartae classi adnumerandi videbantur, non eadem anatomiae perfectione excellunt, qua *liber de Articulis,* libros dico *de Haemorrhoïdibus et de Fistulis* per se quidem haud spernendos, a dictione vero et disserendi ratione Hippocratica alienos, quos quidem Timaeo Platonico antiquiores postea cognoscemus.

Restat in quarta classe *liber* singularis *de Insomniis,* quem non Hippocratis esse quisque concedet, neque quisquam a falsario ei suppositum credet; vix enim credibile est, hominem tam stultum fuisse, qui eiusmodi somniorum coniectione se alios decepturum sperasset, summi medici nomen simulans. Loquendi genus est concinnum atque ornatum, dignum sane litterarum Graecarum flore, quem tempore belli Peloponnesiaci admiramur. Hippocratis scripta libri auctori innotuisse, doctrinam placuisse, non dubium est, quare eadem aetate eum vixisse suspicor. Disserendi ratio est perspicua, quamquam non subtilis, iudicium non subactum, sed superstitione adstrictum tunc non rara, quam doctrinae quadem specie commendare studet. Equidem de Antiphonte Lysionidae filio sophista, quem non diversum puto ab illo somniorum interprete, vel de simili quodam hariolo cogitaverim.*)

Mira est doctrina *libri,* qui quintam constituit classem, *de Natura Pueri* inscripti, illa neque cognata ulli alii, quae in libris medicis reperitur.**) In embryonis historia copiose adumbranda stirpiumque natura ei comparanda auctor generationis principia attingit, docens spiritus (πνεύματος) et liquoris (ἰκμάδος) ope omnia generari et crescere, spiritum enim emitti ab omnibus corporibus calore affectis, liquorem autem attrahi a frigidis inque spiritum rursus verti. Hieme interiores terrae partes calidiores putat propter humorem e pluviis frequentioribus ortum, aestate vero frigidiores propter siccitatem, sole eius liquorem attrahente. Unde repetenda sint haec generationis principia, non additur, neque liquet, utrum aquae primus locus concedatur, an aëri. Iam si quaerimus, quam

---

*) Cf. Interpr. ad Diog. Laert. II. 46. Hermogenes de Ideis II. 7. Inprimis consule Ciceronem de Divin. I. 51. 116. Suid. s. h. v. Westermann ad Plut. X. oratt. p. 20. atque iudicium, quod tuli de Brandisii hist. philos. Allg. Littztg. 1837. No. 98. p. 175.

**) Iniuria Hecker (Gesch. der Heilk. p. 180 et 182) huius atque *quarti de Morbis* libri rationes eiusdem putavit et Polybo adscripsit, ad quem neuter pertinet.

philosophorum disciplinam acceperit auctor vel sit imitatus, nullus sane reperitur, cuius vestigia persequatur. Omnium philosophorum, qui nobis innotuerunt, unus est Diogenes Apolloniates, ad quem quodammodo accedat, non oratione tantum, sed etiam doctrinae ratione. Tantum vero abest, ut ei omnino assentiatur, ut in tanta fragmentorum paucitate supersint, in quibus Diogeni auctor noster oblocutus sit,*) siquidem vere minor natu habetur. Consentiunt eo, quod in res subterraneas inquirunt humidumque quendam vaporem vel liquorem quasi aëreum (ἰκμάδα) ponunt, quo fontium ratio eorumque cum aëre et nubibus nexus atque soli ad stirpes alendas facultas explicetur. Utriusque locos comparemus, quibus simul in loquendi usu similitudo appareat. In *libro de Natura Pueri* leguntur haec; p. 242: ἔχει γὰρ ἐν αὐτῷ ἡ γῆ ἰκμάδα παντοίην· p. 243: τὸ κάτω τῆς γῆς τοῦ μὲν χειμῶνος θερμόν ἐστι, τοῦ δὲ θέρεος ψυχρόν. τοῦτο δὲ διὰ τόδε ἐστίν, ὅτι ἡ γῆ ἰκμαλέη ἐστὶν ἐν χειμῶνι ὑπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πίπτοντος καὶ πιέζεται ἐφ' ἑωυτῇ, ἅτε βαρυτέρης τῆς ἰκμάδος· p. 244: ἡ γῆ τοῦ θέρευς ἀραιή ἐστι καὶ κούφη, ἅτε τοῦ ἡλίου σφοδρότερον προςβάλλοντος καὶ ἕλκοντος ἀπ' αὐτῆς πρὸς ἑαυτὸν τὰς ἰκμάδας. Diogenis fragmentum, quod diversam quidem, sed cognatam doctrinam indicat, legitur apud scholiastam Apollonii Rhodii ad lib. IV. v. 209: οἴεται γαρ πληροῦσθαι τὸν Νεῖλον ἐν τῷ θέρει διὰ τὸ τὸν ἥλιον εἰς τοῦτον τὰς ἀπὸ γῆς ἰκμάδας τρέπειν.**) Sicuti in *libro de Natura Pueri* stirpes et homines vaporis illius vel liquoris participes sunt, simili ratione liquorem illum ad metalla non minus, quam ad stirpes et animantia pertinere Diogenes voluit. Apud Alexandrum Aphrodisiensem in *Quaestion. Natur. et Moral.* II. 23 legimus: Διογένης τε ὁ Ἀπολλωνιάτης πάντα τὰ ἐλατά φησι καὶ ἀφιέναι τινὰ ἰκμάδα ἀφ' αὐτῶν πεφυκέναι καὶ ἕλκειν ἔξωθεν·***) De stirpibus et animantibus posthac videbimus: nunc Diogenis aetatem constituamus. In lege ista, quam adversum Anaxagoram ad populum tulit Diopithes,†) rerum coelestium mentio fit, subterranearum vero non, unde conclu-

---

*) Rufus Ephesius apud Galenum in Com. II. in Epid VI. p. 473. Bas. V. p. 431. Chart. IX. p. 1006. Kühn. XVII. 1.

**) Panzerbieteri Diogenes Appolloniates p. 135. c. 79.

***) ibid. p. 98. c. 56.

†) Plut. Pericl. I. p. 420. c. 31. *Καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν, εἰςαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ μεταρσίων διδάσκοντας.*

dimus, Anaxagoram subterranea minus curasse. Illi multa retulit accepta Diogenes, id quod diserte testatur Simplicius*) et contra recentiorum dubitationem obtinuit Philippson.**) Quae cum ita sint, ad Diogenem potissimum eiusque aemulatores referendi videntur in Aristophanis Nubibus versus, qui rerum subterranearum perscrutationem perstringunt 187 — 192:

Στρ. Ἀτὰρ τί ποτ' ἐς τὴν γῆν βλέπουσιν οὑτοιΐ;
Μα. ζητοῦσιν οὗτοι τὰ κατὰ γῆς.
Στρ. βολβοὺς ἄρα
ζητοῦσι. μὴ νῦν τοῦτό γ' ἔτι φροντίζετε,
ἐγὼ γὰρ' οἶδ', ἵν' εἰσ' μεγάλοι καὶ καλοί.
τί γὰρ οἵδε δρῶσιν, οἱ σφόδρ' ἐγκεκυφότες;
Μα. οὗτοι ἐρεβοδιφῶσιν ὑπὸ τὸν Τάρταρον.

Neque tamen solum Diogenem irrideri, sed omnes, qui similia, immo etiam qui dissimilia docerent, cum his autem consuetudinem haberent, apparet ex ipsius Socratis exemplo, qui accusatus, quod non eosdem, quos civitas, Deos acciperet, sed novos afferret, se defendens profitetur, hoc crimen sibi conflatum esse hac ipsa Aristophanis comoedia.***) Diogenem vero eiusque aemulatores ab Aristophane significari, alius locus etiam magis affirmat. Sunt vero versus 228 — 234:

Σω. οὐ γὰρ ἄν ποτε
ἐξεῦρον ὀρθῶς τὰ μετέωρα πράγματα,

---

*) Simplic ad Arist. Phys. p. 6 a. cf. quae contra hanc sententiam attulit Panzerbieter c. 1—7.

**) Lud. Philippson Ὕλη ἀνθρωπίνη P. II. p. 198.

***) Plat. Apol. p. 19. b. Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια etc. ταῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ. Diogenis res ad Socratem aliquo modo pertinuisse, inde coniicias, quod Demetrius Phalereus eius mentionem fecit in causa Socratis defendenda. Diog. Laërt. IX. 57: τοῦτον, φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ, διὰ μέγαν φθόνον μικροῦ κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν. Mirum huic loco accedit infortunium; Sprengel, Gesch. d. M. I. p. 468 inde deprompsit: „ein Zeitgenosse des Socrates, den er mit Lebensgefahr vertheidigte." Neque Ritterus (Jon. Philos. p. 41) recte vertit: Er soll zu Athen gelebt und daselbst wegen grossen Neides nicht wenig Gefahr ausgestanden haben." Sensus loci est: Parum abfuisse, quin propter magnam invidiam in periculum incideret.

εἰ μὴ κρεμάσας *) τὸ νόημα, καὶ τὴν φροντίδα
λεπτὴν καταμίξας ἐς τὸν ὅμοιον ἀέρα.
εἰ δ'ὢν χαμαὶ τἄνω κάτωθεν ἐσκόπουν,
οὐκ ἄν ποτ' εὗρον· οὐ γὰρ ἀλλ' ἡ γῆ βίᾳ
ἕλκει πρὸς αὑτὴν τὴν ἰκμάδα τῆς φροντίδος.
πάσχει δὲ ταὐτὸ τοῦτο καὶ τὰ κάρδαμα.

Quibus verbis si quis comparat, quae Theophrastus ex Diogenis doctrina servavit in libro de Sensibus §. 44 (ed. Philippson in Ὕλη ἀνθρωπίνη) p. 120, quamvis Theophrasti, non ipsius Diogenis verbis tradantur, tamen plurimum similitudinis inesse concedet. Sufficit apponere excerpta haec: Φρονεῖν δὲ τῷ ἀέρι καθαρῷ καὶ ξηρῷ· κωλύειν γὰρ τὴν ἰκμάδα τὸν νοῦν· διὸ καὶ ἐν τοῖς ὕπνοις καὶ ἐν ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς πλησμοναῖς ἧττον φρονεῖν. Ὅτι δὲ ἡ ὑγρότης ἀφαιρεῖται τὸν νοῦν, σημεῖον, ὅτι τὰ ἄλλα ζῶα χείρω τὴν διάνοιαν· ἀναπνεῖν τε γὰρ τὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἀέρα καὶ τροφὴν ὑγροτέραν προςφέρεσθαι· τοὺς δὲ ὄρνιθας ἀναπνεῖν μὲν καθαρόν, φύσιν δὲ ὁμοίαν ἔχειν τοῖς ἰχθύσι etc. Confiteor quidem, non omnem expediri difficultatem verborum: ἡ γῆ βίᾳ ἕλκει πρὸς αὑτὴν τὴν ἰκμάδα τῆς φροντίδος: sed quis dixerit, quid consulto turbaverit comicus, quam causam irrisionis ipsa Diogenis verba dederint? Ultimus versus eorum, quos attuli, an ad stirpium naturam a Diogene explicatam spectaverit, difficilius est dictu, cum quae de hac re cognita habemus, non satis manifesta sint. *Liber* quidem *de Natura Pueri* talia de stirpibus in universum praedicat p. 242: ὁκόταν τὸ φυτὸν τὸ ἐν τῇ γῇ ἐνεὸν ἰκμάδα λάβῃ ἀπὸ τῆς γῆς, οἰδέει καὶ πνεῦμα ἴσχει etc.**) Ita etiam tonitrus ratio, quam Aristophanes illudit, Diogenis esse videtur.***) Sed quorsum haec omnia? Ut intelligamus, Diogenem respici a *libri de Natura Pueri* auctore, illum certo, fortasse etiam hunc ab Aristophane.†) Inde concludimus illum scripsisse ante

*) Huius etiam dictionis exemplum praebet liber *de Natura Pueri* p. 244: καὶ τὸν ἀσκὸν κρεμάσας αἰωροίη.

**) Pauca supersunt Diogenis de stirpibus decreta apud Theophrastum de Sensibus l. l. et Hist. Plant. III. 2. 4.

***) Nub. 375 sqq. Cf. Panzerbieter c. 80. p. 136.

†) Principium, quod ponit auctor *libri de Natura Pueri*, indefinitum in memoriam revocat doctrinam Hipponis, qui et ipse humidum habuit pro principio, neque tamen declara-

Nubes iterum recensitas, hunc aut et ipsum ante Nubes editas aut eodem fere tempore.

Sextae classi dedi *librum de Prisca Medicina*, qui antiquam Alcmaeonis Crotoniatae sententiam contra medicorum aetatis Hippocrateae doctrinas defendit. In medicorum principiis significandis cum aut unum suo tempore, aut duo poni vituperet, quatuor qualitatum rationem, quam scripta septimae classis agnoscunt, nondum litteris illustratam videmus. *Ὁκόσοι*, inquit auctor initio libri, *ἐπεχείρησαν περὶ ἰατρικῆς λέγειν* *) *ἢ γράφειν, ὑπόθεσιν σφίσιν αὐτέοισιν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ θερμὸν* **) *ἢ ψυχρὸν ἢ ξηρὸν ἢ ἄλλ' ὅτι ἂν ἐθέλωσιν, ἐς βραχὺ ἄγοντες τὴν ἀρχὴν αἰτίης τοῖσιν ἀνθρώποισιν τῶν νούσων τε καὶ τοῦ θανάτου καὶ πᾶσι τὴν αὐτὴν ἓν ἢ δύο προθέμενοι, ἐν πολλοῖσι μὲν, οἷσι λέγωσι, καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες.* Inprimis vituperat meteorologiae et rerum subterranearum indagationem cum medicina copulatam p. 8: *ὃ περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν εἴ λέγοι τις καὶ γίνωσκοι ὡς ἔχει, οὔτ' αὐτῷ λέγοντι, οὔτε τοῖς ἀκούουσι δῆλα ἂν εἴη, εἴτε ἀληθέα ἐστίν, εἴτε μή.* Quibus verbis quin ipsius Hippocratis scripta et *liber*

---

vit, utrum de aqua potius cogitasset, an de aëre. Plurima etiam, quae de semine et embryone eum docuisse refert Censorinus, in libro nostro reperiuntur, unde coniectare liceat, ex illo eius auctorem summam doctrinae sumpsisse. Accedit, quod Hipponis aetas adhuc non reperta in hoc ipsum tempus incidit. Ad eum enim spectant versus Nubium 95 — 97:

ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες, οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν, ὡς ἔστιν πνιγεύς,
κἄστιν περὶ ἡμᾶς οὗτος, ἡμεῖς δ' ἄνθρακες.

Scholiastes, cuius auctoritate fretus sum, fidem sibi conciliat non parvam, quod ad Cratetem provocat: *ταῦτα δὲ πρότερος Κράτης ἐν Πανόπταις δράματι περὶ Ἵππωνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει.* Lucem inde accipiunt, quae de Hippone tradidit Origenes Philosoph. c. 16. *Ἵππων δὲ ὁ Ῥηγῖνος ἀρχὰς ἔφη ψυχρὸν τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ, γεννώμενον δὲ τὸ πῦρ ὑπὸ ὕδατος κατανικῆσαι τὴν τοῦ γεννήσαντος δύναμιν, συστῆσαί τε τὸν κόσμον.* Cf. Chr. A. Brandis Gesch. der Griech. Röm. Philosophie. p. 121.

*) Observandum, non omnes doctrinas litteris, multas non nisi orationibus et sermonibus esse explicatas, quos imitatur etiam *liber de Flatibus.*

**) Eiusmodi est *liber de Carnibus.* Ad ceteras de principio morborum doctrinas hic indicatas respicit auctor *libri de Natura Hominis.*

de Natura Pueri notentur, si nemo, ut opinor, dubitaverit, non multo post illa i. e. priore parte belli Peloponnesiaci hoc scriptum publici iuris factum esse, facile concedetur. Huic tempori et loquendi et disserendi ratio quomodo conveniat, ubi de singulis libris disputabimus, accuratius erit docendum. Eidem fere tempori dictio vindicat *libros de Arte**) *et de Medico*, qui et ipsi orationum publice habitarum formam imitantur. Sophistica ratio in scriptis huius generis apparet, sophistas vero, qui omnium rerum scientiam sibi parasse gloriarentur, etiam artem medicam attigisse, exemplis probare licet. Non Protagoras tantum apud Platonem (in dialogo huius nominis p. 334), quid hominibus, animalibus et stirpibus prosit, se tenere praedicat, sed Prodicus Chius *librum* edidit *de Natura Hominis*,**) in quo ex suo more etiam genus dicendi medicis consuetum emendare studuit. Quae cum ita sint, si Prodicus inter magistros Hippocratis nominatur, non illico nomen est mutandum neque de *Herodico* cogitandum. A

---

*) Nisi cui musculorum commemoratio dubitationem movet p. 6, quamquam idem fere vocis usus apud Homerum. Cf. Sprengel, Gesch. d. Med. Vol. I. 3. 3 §. 56. p. 383.

**) Addenda est haec notitia Welckeri scriptioni de Prodico, Socratis praecursore (Rheinisches Museum f. Philologie. Bonn 1833. Hft. 1 et 4) e Galeni libro II. de Facultatibus Natural. c. 9, p. 106 Bas. I. p. 60 Chart. V. p. 130 Kühn II: *Πρόδικος δ'ἐν τῷ περὶ φύσεως ἀνθρώπου γράμματι τὸ συγκεκαυμένον καὶ οἷον ὑπερωπτημένον ἐν τοῖς χυμοῖς ὀνομάζει φλέγμα παρὰ τὸ πεφλέχθαι. Τῇ λέξει μὲν ἑτέρως χρῆται, φυλάττει μέντοι τὸ πρᾶγμα κατὰ ταὐτὸ τοῖς ἄλλοις. — ἀλλὰ τοῦτό γε τὸ πρὸς ἁπάντων ἀνθρώπων ὀνομαζόμενον φλέγμα, τὸ λευκὸν τὴν χρόαν, ὃ βλένναν ὀνομάζει Πρόδικος, ὁ ψυχρὸς καὶ ὑγρὸς χυμός ἐστιν οὗτος* etc. Verba, quae interposita sunt: *τὴν δ' ἐν τοῖς ὀνόμασι τοῦ ἀνδρὸς τούτου καινοτομίαν ἱκανῶς ἐνδείκνυται καὶ Πλάτων,* declarant Prodicum esse Sophistam, non alium quendam medicum, id quod Hecker opinatus est, Gesch. d. H. I., §. 35. p. 187, in errorem inductus ab ipso Galeno, qui Comm. III. in Epid. VI. s. 29. p. 81 et s. 31. p. 99 Kühn XVII. 2. eum non satis accurate discrevit ab utroque Herodico, nec a Selymbriano Gymnasta, nec a Leontino Gorgiae fratre, neque hos ipsos iuste inter se distinxit, quamquam sophistam agnoscit etiam Comm. IV. in libr. de Articulis s. 15. p. 645 Bas. V. p. 436 Chart. XII. p. 685 Kühn XVIII. 1: *μόνος γὰρ φαίνεται Πρόδικος ἐζηλωκέναι αὐτὴν ἐν ὀνόμασι μικρολογίαν.* Cf. de Elem. I. c. 9. p. 56 Bas. I. p. 24 Chart. III. p. 487 Kühn I.

definiendi enim et disponendi ratione, quae Prodico tribuebatur honori, minime abhorret Hippocrates. Numquid ad Hippocratis dictionem expoliendam valuerit, nescimus. Vocabulorum usus ab eo emendatus, quantum ex uno illo exemplo agnosci potest, quod Galenus, servavit, (βλέννα), in genuina Hippocratis scripta non receptus est, in discipulorum vero libris eius vestigia apparent. Huius generis videtur esse enuntiatum, in quo legitur vox illa Prodici, in duobus libris idem, *de Victu Salubri* p. 340 et in *libro secundo de Morbis* p. 464: καὶ ἢν μὲν ῥαγῇ κατὰ τὰς ῥίνας καὶ κατὰ τὰ ὦτα ὕδωρ καὶ βλέννα, ἀπάλλαττεται τοῦ νούσου. Similis huius vocis est potestas in *Praedictorum libro secundo* et *Morborum Popularium quarto*. Aliam vero eius vim eamque accuratius definitam reperies in *libris de Morbis Mulierum* et *de Natura Muliebri*. Originem vocis ex Italia vel Sicilia repetendam suspicior, cum vocabulum ab ea derivatum sensu translato (βλέννος) commune fuerit Sophroni et Plauto.*)

Iam ad septimam classem pervenimus, in qua *libro de Natura Hominis* primus locus debetur, quia auctor ipse huius de quatuor humani corporis elementis doctrinae inventorem se praedicat.**) Hunc vero librum Galenus semper doctrinae Hippocrateae exemplar proposuit, quia eum prae ceteris a *Platone* in illo *Phaedri* loco indicari persuasum habet. Neque sane, quo minus hunc librum genuinis, quos recensuimus, adnumeremus, quidquam obstat, nisi doctrinae differentia. Nam quod additamentum *de Venis* habet liber ab Aristotele***) Polybo tributum, inde argumentum peti non potest, quo librum non genuinum esse probetur. Multis enim libris aliena sunt adnexa. Si vero iam Polybus adiecit, suspiceris librum, cui hoc adiectum sit, Polybo esse antiquiorem. Eundem si scriptis maxime genuinis iuniorem videmus, fere necessario sequitur, aut ab ipso Hippocrate sene, aut a discipulo ante illum Polybi pannum esse scriptum. Restat quidem, ut ponamus postea demum scripta haec diversa esse coniuncta, sed neque ita prioris partis auctoritas imminuitur. Nullum enim exstat aut signum, aut testimonium, quod etiam priorem partem Polybo unquam adscriptam fuisse

---

*) Stephani Thesaur. s. v. βλέννα.

**) Doctrinam accuratius exposuit S. L. Steinheim: Doctrina Veterum de Liene. Hamburgi 1833. p. 11 sqq.

***) Aristot. de Histor. Animal. III. 3.

affirmet, quod falso contendit Fabricius,*) neque ulla exstat ratio, qua doctrina de quatuor elementis Hippocrate iunior reddatur. Priorem hanc *libri de Natura Hominis* partem Hippocrate etiam superstite esse scriptam, veri est simillimum, quod eadem doctrina in iis quoque libris servatur, qui quidem utrum ab ipso Hippocrate, an ab eius filiis vel genero aliisve discipulis profecti sint, adhuc non est discretum, ad aetatem vero inferiorem iam aliis rationibus deditam referri non possunt. Praeterea cum *Morborum Popularium, Aphorismorum atque de Aëre, Locis et Aquis libros* inter se compararemus, vidimus, uti eorum auctor a rerum naturalium contemplatione, usu atque experientia profectus deinceps in rerum etiam causas inquisiverit earumque rationem subinde accuratiorem atque certiorem excogitaverit. Reputantibus nobis, quod supra monuimus, nonnullos libros ita esse comparatos, ut propter rationis et orationis similitudinem difficilius constituatur, utrum ad quartam, an ad septimam classem rectius referantur, inde verisimillimum videbitur, hanc quatuor elementorum, quae corpus humanum constituant, rationem ab Hippocrate sene esse profectam, libros vero, quibus illustretur, partim ab ipso scriptos post eius mortem a filiis et genero esse editos,**) partim ab his etiam compositos, quare plurimi huius septimae classis libri a quo profecti sint, Galenus dubitat. Filiorum atque patris scripta eo difficilius distinguuntur, quia non modo a principio coniuncta edebantur, sed patris etiam libri a filiis recensiti et interpolati sunt. Indagari autem oportet, quando quatuor elementorum vel qualitatum ratio in *libro de Natura Hominis* primum exhibita in Graecia percrebuerit. Plurimis eius temporis scriptis ex quovis genere deperditis, certiora atque accuratiora signa non supersunt, quam quae ex scriptorum Platonicorum ratione repetantur. Cum in ceteris dialogis tum in *ipsis Reipublicae libris* Plato sequitur doctrinam librorum, quos supra inter genuinos recensuimus, in *Timaeo* (p. 83 b.) vero quatuor corporis humani qualitatum rationem non tan-

---

*) Galenus, ad cuius locos provocat Fabricius, Comm. I. in h. l. s. 42 p. 106. Kühn XV. nihil de Polybo habet et II. s. 22, p. 172. de altera tantum parte disputat.

**) Gal. Comm. V. in Epid. VI. p. 510 Bas. V. p. 518 Chart. IX. p. 249 Kühn XVII. 2: *ἴσως δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Θεσσαλὸν ἀθροῖσαί φασι τὰς ὑπογραφὰς τοῦ πατρὸς εὑρόντα γεγραμμένας ἐν χάρταις τε καὶ διφθέραις καὶ δέλτοις καὶ τοιαύτας τινὰς παρεντεθεικέναι ῥήσεις.* Cf. Sprengel Gesch. d. Med. Vol. I. 3. §. 46. p. 364.

git tantum, sed et priori rationi ita accommodare studet, ut quatuor elementorum rationem e ratione duorum elementorum explicata et amplificata ortam ostendat.*) Aliorum etiam sive medicorum sive philosophorum hanc doctrinam Hippocraticam opinionibus temperavit. Reipublicae libri anno ferme 377**) scribi coepti sunt, Timaeum vero aliquot post annis editum, suspicamur, saltem ante annum 361 A. C.; ubi ultimo in Siciliam navigavit.***) Platonem enim extremis vitae annis, ut pluribus civitatibus leges scriberet, rogatum esse accepimus; quare rerum veritati potius, quam philosophiae sublimitati eum studuisse arbitramur, id quod etiam *Critiae* scriptione intermissa *Librorum de Legibus* compositio, tertiique de rebus civilibus operis scribendi consilium probant. Circiter annum igitur 370, nisi prius, *librum de Natura Hominis* aliosque, quos Hippocrates imperfectos reliquerat, a filiis in lucem editos esse suspicor. Qui ex libris huius classis ab ipso compositi, a filiis vero minus magisve contaminati, quique ab his aliisque discipulis scripti sint, accuratius quaerendum differo, hoc tantum addo: *libros Morborum Popularium II., IV.*,

---

*) Plato in Timaeo p. 82 sqq. nec Hippocratis nec Hippocraticorum certam quandam rationem sequitur, sed peculiarem constituit doctrinam ex variis inprimis Hippocraticorum rationibus commixtam. Sanitatem cum in iusta quatuor elementorum (ignis, aëris aquae et terrae) temperatione ponat, primum e perturbatione eorum morbos repetit. Deinde sanguinis corruptione eos fieri vult, carnibus putretidine in venas solutis. Corruptionis huius genera ponit tria, bilem, saniem et pituitam. Putrescit autem caro aut vetus et bilem efficit, sive atram sive rubram, aut recens et vertitur in bilem flavam. Sanies (ἴχωρ) vero serum est aut sanguinis eaque lenis, aut bilis atrae et acidae, si caloris ope cum salsa vi miscetur, fera quaedam, quae etiam pituita acida vocatur; alba denique pituita e carne recenti oritur putrescente, si cum aëre miscetur. Tum rursus singuli morbi derivantur aut e spiritu vel deficiente vel abundante vel secreto, aut e duplice pituita, alba et acida, aut e bile. Cuncti denique rursus referuntur ad quatuor elementa, ignem, aërem, aquam atque terram. Videmus tum non modo quatuor humorum (pituitae, bilis flavae et atrae atque sanguinis) rationem fuisse excultam, quam Hippocrati seni vindicavimus, sed etiam plurium, inter quos pituita alba et acida in libro *de Iudicationibus*, sanies vero in *libris de Fistulis, de Haemorrhoidibus* atque *de Vulneribus* commemorantur.

**) Stallbaum, Proleg. p. LXIV sqq.

***) Stallbaum Proleg. c. 3.

VI., consensu quodam veterum ad Hippocratem referri, sed ex reliquiis dispersis collectos, recensitos, contaminatos atque editos a Thessalo credi. Erant, qui de *libro quinto et septimo* idem acciperent, alii vero eos ab Hippocrate Dracontis filio scriptos opinabantur. (Galen. Comm. II. ad l. III. s. 4. p. 603 Kühn XVII. 1. Comm. I. ad l. VI. prooem. p. 796 et de Respir. diff. l. II. c. 8 p. 854 l. III. c. 1. p. 890 Kühn VII). *Libri* vero *de Morbis* duo, *secundus et tertius*, qui nunc numerantur, ex Dioscoridis sententia ab Hippocrate Thessali filio scripti sunt. (Galen. Comm. I. in lib. VI. Epid. s. 29. p. 888 Kühn XVII. 1)*) Thessalo adscribitur etiam liber *de Alimento*, sed non nisi in libris manuscriptis. Eos vero libros efferendos duxi, quorum aetatem superiorem probat Dioclis auctoritas. Hunc quamquam ipse a doctrina Hippocratica desciverat, tamen videmus Hippocratis et Asclepiadarum opera tanti aestimasse, ut nisi de iis commentatus sit, certe multa ex iis in suos libros transferret atque ubi opus esset, interpretaretur. Duorum huius classis operum apud eum mentio fit, *de Humoribus* et *de Mulierum Morbis*. Ex utroque vocabulum dubiae significationis interpretatur, quare ipsum iis iuniorem aestimes.**) In *libro de Humoribus* solo reperitur vocabulum *ἔρειψιν*, in quo explicando valde laborarunt veteres interpretes, inter quos recenset etiam Dioclem Carystium Galenus in Comm. I. ad h. l. p. 535 Chart. VIII. p. 197 Kühn XVI: *οὐδὲ Διοκλῆς ὁ Καρύστιος καλῶς τὴν φωνὴν ταύτην κατέλαβεν· ᾠήθη γὰρ μὴ εἶναι τοῦτο σύμπτωμα τῆς δυνάμεως καὶ σωματικόν, ἀλλὰ τῆς διανοίας καὶ ψυχικόν.* Libri denique inscripti *de Morbis Mulierum* et dictionis proprietate ceteris excellunt et Dioclis testimonio superiori aetati vindicantur. Ex Diocle enim servavit Erotianus p. 166 interpretationem vocis *ἐκτόμου*, quae *primo de Morbis Mulierum libro* legitur: *Διοκλῆς φησὶν οὕτω καλεῖσθαι τὸν μέλανα ἐλλέβορον.* Huius operis rationem habitam esse a Diocle in opere eiusdem nominis, veri non est dissimile.

---

*) Errasse videtur Hecker (Gesch. d. Heilk. I. p. 179.) credens, *quatuor de Morbis libros* cunctos adscribi Thessalo.

**) Eiusmodi interpretatio certum non est testimonium aetatis multo superioris, siquidem etiam in *libro de Articulis* non multo antiquiore Diocles in vocabula incidit, quae interpretatione indigerent. Fortasse in hac vocabulorum obscuritate dialectorum diversitas conspicitur.

Eius mentionem facit Galenus: (Comm. II. in Epid. VI. p. 473 Bas. V. p. 432 Chart. IX. p. 1006 Kühn XVII. 1) ὥςπερ γε καὶ παρὰ Διοκλεῖ κατὰ τὰ περὶ γυναικείων συγγράμματα.

De classis octavae libris, re nondum satis accurate inquisita, non habeo, quod in universum disputem, nisi rationem, quam sequantur, iuniorem esse quam classis septimae, recepta in bilis flavae locum aqua.*) *Liber de Morbis quartus* contra *libellum de Corde* affirmare studet, potum non pulmone recipi, quare inferiori aetati est adsignandus. Neque in nona classe immoror, sufficit enim hoc loco monere, *librorum trium de Victu Sanorum***) rationem compositam esse ex Melissi***) et Hippocratis doctrina, cui admisceatur Pythagoricorum medendi ratio, quae ab Eudoxo innovata atque propagata esse dicitur.†) Hi vero libri utrum recentiores an antiquiores, quam plurima pars septimae classis, sint habendi, discernere nondum audeo; neque iam de mira horum librorum compositione fusius dicam, quippe quae larga disputatione indigeat. Hippocratis imitatio in terrarum situ describendo apparet, inprimis libri secundi initio, sed orbis terrarum maiorem partem auctor novit, quam ille. Hac ipsa imitatione esse ductus videtur, dum Melissi adsciscit rerum principia, quae Hippocrates in *libro de Natura Hominis* commendaverat. Pythagorica denique ratio in disserendi et loquendi genere agnoscitur.

Ita libris genuinis et, qui iis aut aequales aut inferiores videbantur, ad temporum rationem dispositis restat, ut de iis agamus, quos superiori aetati adsignavimus. Homines, quorum sententiae certi temporis notas suppeditant, sunt

---

*) Cum praeter Hippocratis nomen nihil traditur de horum librorum origine, de quinto vel sexto huius nominis viro cogitari potest, qui fuerunt Thymbraei filii. Suid. s. h. v. De horum librorum ratione cf. Steinheim Doct. Vet. de Liene. p. 13.

**) De horum librorum auctore veteres valde discrepant, afferuntur enim Euryphon, Phaon, Philistion, Ariston, Pherecydes et Philetes.

***) Melissus aquam et ignem pro rerum elementis accepit. Joh. Philop. in Phys. Arist. p. 6. b. Verum non est, quod Sprengel, Gesch. d. M. I. 3. §. 52. p. 376 contendit, Melissum vituperari ab Hippocrate.

†) Diog. Laërt. VIII. §. 86 sqq. et interpp. ad h. l.

Alcmaeon*) Epicharmus,**) Empedocles***) atque Diogenes Apolloniates. In eorum disciplinis maxime animadvertendum est, quid de sanguinis motu et respirandi facultate docuerint. Diogenem, qui docuit, venis una cum sanguine duci aërem vel spiritum, secutus est Hippocrates. Empedocles et ipse venis sanguinem et aërem duci opinatus est, neque tamen una, sed vicissim, ut nunc sanguis aërem depellens venas occuparet, nunc aër eas occupans sanguinem in partes corporis interiores repelleret. Quae ex Epicharmo servata sunt physiologica et medica,†) minoris sunt momenti, quam ut certa signa nobis suppeditare possint, eo graviora autem argumenta porriget loquendi genus, quo ille usus est. Alcmaeon denique brevius quidem de respiratione dixit, sed quoniam omnium primus de Natura Hominis, praecipue de sensibus, exposuit atque animalibus resecandis operam dedit, eius reliquiae magni sunt momenti.

Quae in prima classe collocavimus scripta tria, a totidem auctoribus profecta esse, et loquendi genera et artis progressus arguunt. *Praedictorum liber primus* et *Coacae Praenotiones* quomodo inter se cohaereant, primum est quaerendum. Utrumque opus non esse Hippocratis, criticorum cum veterum tum recentiorum plurimi consentiunt, ipso Hippocrate esse antiquiora, et dictionis††) et doctrinae rationes probant,†††) quae eaedem *Praedictorum librum Praenotionibus* superiorem ostendunt. Neque quisquam, opinor, dubitabit, haec esse scripta illa, quae ab Hippocrate e tabulis votivis vel tabulario templi in insula Coo Aesculapio con-

---

*) De Alcmaeone Crotoniata eiusque fragmentis, quae supersunt, scripsit M. A. Unna. Exstat in libro a me edito: Philologisch-historische Studien auf dem akademischen Gymnasium in Hamburg. 1832.

**) Epicharmi Fragmenta collegit H. Polman-Kruseman. Harlemi 1834.

***) Empedocles Agrigentinus. De vita et philos. eius exposuit Fr. G. Sturz. Lips. 1806.

†) C. Joh. Grysar, De Doriensium comoedia V. I. Coloniae 1828. pag. 93—96. Welcker in sententia, quam dixit de hoc libro: Allgem. Schulz. II. 1830. p. 477.

††) Hoc dictionis discrimen maxime in Articuli usu observatur.

†††) Idem coniecit J. F. K. Grimm in enarratione, quam interpretationi Hippocratis adiecit Vol. II. p. 566 et 568. Hic vero errat, si utrumque librum eiusdem esse auctoris opinatur, dictionemque credit exquisitam et nimis ornatam, quam rudem potius et incomptam appellaverim.

secrati deprompta esse, fama tradiderit,*) quamquam potius de maioribus eius, quam de ipso Hippocrate cogitandum erit. Sunt quidem, qui credant, *primum Praedictorum librum* esse excerptum e *Coacis Praenotionibus*, sed neque omnes sententiae, quae in illo leguntur, exstant etiam in his, et earum, quae in utroque opere reperiuntur, aliae in illo sunt integriores, interdum etiam aegrotorum et regionis nominibus additis, quae non in iis addita, sed in Coacis Praenotionibus omissa esse necessario sequitur, aliae, quae accuratius in his definitae leguntur, diligentiorem usum et artis progressum ostendunt, quae denique *libro primo Praedictorum* solo leguntur, in his desunt, consulto praetermissae videntur, utpote minus diligenter observatae vel etiam falsae.**)

De Locis in Homine libro cum utroque communis est illa de bile et pituita, primariis corporis humani humoribus morbosis, doctrina, peculiaris vero certa huius doctrinae atque definita expositio, quam illorum operum auctores praeiudicatae vel traditae opinioni debere videntur. Quandoquidem antiqui scriptores omnes, qui litterarum historiam tangunt, Alcmaeoni (Unna p. 81) primum *de Natura humana* scriptum tribuant, recentiorem putare debemus nostrum *de Locis in*

---

*) Antiquissimus auctor, qui hoc memoriae prodidit, est Strabo XIV. 2, ubi de templo Aesculapii sermo est: *Φασὶ δ᾽ Ἱπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀνακειμένων ἐνταῦθα θεραπειῶν γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς διαίτας.* Quam famam Plinius composuit cum fabula illa de templi combustione H. N. XXIX. 2: „*Sequentia Aesculapii* (*mirum dictu*) *in nocte densissima latuere usque ad Peloponnesiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates genitus in insula Coo inprimis clara ac valida et Aesculapio dicata. Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo eius Dei, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) templo cremato, instituisse medicinam hanc, quae Clinice vocatur.* De templo Cnidio hoc narravit, teste Sorano in vita Hippocratis, Andreas Carystius Herophili discipulus *in Medicorum Genealogia.* Originem fabulae quaesiverim in Comicis, qui Hippocratis cum Euryphonte et schola Cnidia controversias et victoriam ita significassent. Posteriores hoc facete dictum cum origine artis e tabulario templi repetenda composuisse atque causam sibi reperisse videntur, cur patriam reliquisset. Cf. Sprengel Gesch. der Med. Vol. I. 2. 6. §. 95 et 96. p. 228 sqq.

**) Multis erroribus utrumque librum laborare, iam veteres viderunt cf. Galen. Comm. I. in librum III. Epid. s. 29. p. 575 Kühn XVII. 1. et Comm. II. init. p. 579.

Homine librum. Eundem a plurimis criticis pro spurio et supposititio habitum, per Sprengelium vero ipsi Hippocrati vindicatum, nos Hippocratis aetate multo superiorem atque omnium librorum superstitum, qui certam naturae humanae rationem constituunt, antiquissimum iudicamus. Fontem in eo reperisse nobis videmur doctrinae illius excultae de fluxionibus morborum causis, quam ab Hippocrate cum caloris innati ratione copulatam atque ex Diogenis Apolloniatis mente emendatam arbitramur. Fluxionum enim apud Hippocratem tam frequens est mentio, ut eorum ratio non ab ipso excogitata, sed a superioribus tradita agnoscatur. Hunc librum non multis annis post Alcmaeonem esse scriptum inde patet, quod in aliorum sententiis refutandis illius etiam non mentio quidem fit, sed ratio habetur. Si aliis etiam obloquitur, quaerendum, qui ante ipsum scripserint. Italicam medicorum scholam ante Coacam floruisse Herodotus*) tradidit. Quin ab ea etiam libri sint profecti, eo minus est dubitandum, quod auctorum nomina supersunt. An Elothales scripserit, nescimus, neque quid de libro eius nomine insignito, quem Pythagorae tribuebant,**) iudicandum, sed Metrodorum***) quendam et Acronem Empedoclis adversarium, sicuti Alcmaeonem, Dorice de Medicina scripsisse traditum accepimus.†) Uno alterove eorum usum esse auctorem *libri de Locis in Homine,* loquendi genus ostendit atque dialectus, Ionica quidem, sed Dorismis ita temperata, ut in vocabulis declinandis Ionicam retineat rationem, in verbis vero iungendis Doriensium sequatur usum, in vocabulorum denique delectu utramque dialectum miscuerit. Neque indefinita quaedam indolis Doricae species captatur, sed Siculus et Italicus usus observatur, cui adeo Latina voca-

---

*) III. 131. Cf. Sprengel, Gesch. der Med. Vol. I. 3. 2. §. 31 p. 336 sqq. quamquam quae ibi de medicinae esotericae et exotericae discrimine et posterioris origine disputantur, omni fide carent. Cautius quidem de eadem re disputavit Hecker I. § 17. p. 90 sqq., neque tamen is omnino vere. Cf. Unna p. 59.

**) Diog. Laert. VIII. 7.

***) Grysar p. 93. Welcker p. 424.

†) Suid. s. h. v. *Ἄκρων, Ἀκραγαντῖνος ἰατρὸς υἱὸς Ξένωνος, ἐσοφίστευσεν ἐν ταῖς Ἀθήναις ἅμα Ἐμπεδοκλεῖ. Ἔστιν οὖν πρεσβύτερος Ἱπποκράτους, ἔγραψε περὶ ἰατρικῆς Δωρίδι διαλέκτῳ, περὶ τροφῆς ὑγιεινῶν βιβλίον ά.* Alcmaeonem Dorice scripsisse, primum fragmentum ostendit.

bula admixta sunt, quae aliquis serioris aevi indicia haberet, nisi Epicharmi auctoritas Graeca civitate iam antiquitus ea esse donata affirmasset.*) Haec de singulari eaque prisca libri indole disputatio hoc quidem loco sufficit.**)

Quo minus propter dogmaticam rationem, quam dicunt, hic liber infra Hippocratis aetatem deprimatur, Platonis auctoritas adversatur, quae illius de fluxionibus doctrinam sua aetate multo superiorem ostendit eo ipso, quod Aesculapio, sive Deo sive Heroe, multo recentiorem praedicat *de Rep.* III. p. 405. c, ubi Socratem inducit disputantem de vulgari morbis medendi ratione: *τὸ δὲ ἰατρικῆς, ἦν δ'ἐγώ, δεῖσθαι ὅ τι μὴ τραυμάτων ἕνεκα ἤ τινων ἐπετείων νοσημάτων ἐπιπεσόντων, ἀλλὰ δι ἀργίαν τε καὶ δίαιταν, οἵαν διήλθομεν, ῥευμάτων τε καὶ πνευμάτων ὥςπερ λίμνας ἐμπιπλαμένους, φύσας τε, καὶ κατάῤῥους νοσήμασιν ὀνόματα τίθεσθαι ἀναγκάζειν τοὺς κομψοὺς Ἀσκληπιάδας, οὐκ αἰσχρὸν δοκεῖ; καὶ μάλ', ἔφη, ὡς ἀληθῶς καινὰ ταῦτα καὶ ἄτοπα νοσημάτων ὀνόματα. Οἷα, ἦν δ'ἐγώ, ὡς οἶμαι, οὐκ ἦν ἐπ' Ἀσκληπιοῦ.* Quo loco non solum Hippocratem significari veri est simile, quia Plato hasce rationes non Hippocrati proprias, sed Asclepiadis et suae et prioris aetatis communes affert, Hippocrates vero eos quidem recepit, sed ita et suis ipsius observationibus et aliorum sententiis temperavit, ut quas Plato hic tangit doctrinas, eaedem apud illum non agnoscantur. Indicari ergo oportet potissimum eos, qui has rationes invenerint, vel in iis persequendis modum excesserint. Cum appareat, *φύσας* referri ad *πνευμάτων* rationem, *κατάῤῥους* ad illam *ῥευμάτων*, atque prioribus vocabulis (*ῥευμάτων τε καὶ πνευμάτων*) morborum causas seu de iis disserendi rationes, quas hodie principia nuncupant, posterioribus (*φύσας τε καὶ κατάῤῥους*) effectus significari, seu morborum genera vel summum genus, duas rationes distinguere debemus Platonis quidem tempore coniunctas, sed ab initio diversas,***) quarum

---

*) Vocabulum Latinum, quod in utroque legitur, est *κυβιτὸν*, cubitum; vid. Foes. Oecon. Hipp. p. 219. Pollux II. 41. Polm.-Krusem. p. 115 et 108. Erotian. p. 212, ubi inprimis observandum, quod. s. v. *κίθαρος* et *καμμάρῳ* disputat. Accuratiora erunt prodenda, si quando de singulis disserere licebit.

**) De Articuli atque Coniunctivi usu huic libro fere peculiari aliquando fusius disputandum erit.

***) Ab initio fluxionum et flatuum rationes diversas et secretas fuisse, ex ipso *de Locis in Homine libro* est manifestum, siquidem ab eius auctore flatuum ratio omnino ignoratur.

alteram, fluxionum dico doctrinam, *in libro de Locis in Homine* agnovimus, alteram, de flatuum vel spirituum in *libro de Flatibus* reperimus, quam tertiae adsignavi classi*).

Hunc *librum de Flatibus* inscriptum Plato inprimis notasse videtur, quippe qui fluxionum rationem admittat quidem, sed e sua ipsius de flatibus sententia deducat. Eiusdem libri indoles non melius significari potest, quam quod fluxionibus et flatibus quasi paludes corpora humana implere dicitur. *Libro de Locis in Homine* hunc librum esse iuniorem ex iis, quae diximus, est manifestum; Hippocrate vero et Diogene Apolloniate superiorem habemus, quia eorum nullum apparet vestigium. Pestem quidem ex prava aëris temperie repetit atque singulorum hominum morbos ex victus ratione, sed illud fecit iam Empedocles,**) hoc diu ante Herodicum Selymbrianum***) et Hippocratem Iccus Tarentinus****) atque Pythagorei†); utrumque etiam apud Alcmaeonem reperitur.††) Quod autem aërem in venis atque animum in sanguine posuit, nisi antiquiorum alicui, certe Empedocli debere putandus est; animum enim in sanguine habitare, quod certo sciamus, ante Empedoclem nemo docuit.†††) Aëris vero cum sanguine in venis mixtionem non naturalem accipit, sicuti Diogenes,††††) sed vitio factam morborum causam.

---

*) Ipsum *de Flatibus librum* Hippocratis aetati vindicavit Hecker Gesch. der Heilk. I. §. 27 p. 128. N. Huius de Flatibus doctrinae origo utrum ex hoc ipso libro repetenda sit, an ex Acronis libro, id quod Suidas significat, in dubio relinquo. Suidas s. v. Ἄκρων exhibet haec: ἔστι δὲ οὗτος τῶν τινὰ πνεύματα σημειωσαμένων.

**) Ed Sturz. Vers. 401 de medico:

παύσεις δ᾽ ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵ τ᾽ ἐπὶ γαῖαν
ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἄρουραν.

***) Plat. Rep. III. p. 406 et interprett. ad h. l. Sprengel Gesch. der Med. Vol. I. 2. 3. §. 35. p. 341.

****) Plato Protag. 316. e. Scaliger in Anagr. Olymp. eum retulit ad Ol. 67. 1 (512)

†) Jamblich. Vita Pythag. c. 34. §. 244.

††) Unna p. 85. Sprengel, Gesch. der Med. Vol. I. 1. 11. p. 286. sqq.

†††) Sturz, p. 439.

††††) Panzerbieter c. 45, pag. 70.

Itaque ante belli Peloponnesiaci tempus priusquam Diogenis doctrina percrebuisset,*) non multo postquam Empedoclis aut scripta aut per discipulos decreta auctor percepisset**), hunc librum esse scriptum suspicor. Dictio vero ea est, quae prosae orationi artem aliquam esse adhibitam ostendat, id quod illa aetate primum a sophistis factum scimus.***)

Restat ut librum *de Carnibus* recenseam. Huic additi sunt *de Aevo, de Partu* et *de Dentitione* libelli, quos cum eiusdem auctoris vel aemulatoris sint, hoc loco intactos relinquam. Secundam classem huic libro dedi haesitans, neque iam firmis argumentis fretus. Etenim disserendi ratio rudis quaedam et indefinita atque loquendi genus sophistarum arte nondum excultum priscae Ionicae physiologiae aetati eum vindicant, neque certa adsunt signa, quae seriorem aetatem probent; quae vero eiusmodi esse dicuntur, si quis aut interpretatione aut historiae luce collustraverit, tolluntur. De arte medica†) sermonem habiturus auctor a communi i. e. generali principio sibi incipiendum arbitratur. Si de rebus coelestibus se non alia dicturum profitetur, atque quae ad animantia pertineant, hoc non ad Hippocratis rationem,††) sed ad philosophorum Ionicorum de rerum principiis sententias spectat, e quibus Heracliti doctrinam elegit, qua niteretur.†††) In

---

*) Supra docuimus, primis belli Peloponnesiaci annis Diogenis doctrinam Athenis celebratam et vituperatam esse.

**) Sturz p. 9 accepit ratiocinationem Dodwelli docentis, cum Thurios colonia deduceretur (Ol. 84½ A. C. 444) Empedoclem annum egisse undetrigesimum, ut pro commercii inter Athenas vel Coum et Siciliam facilitate non diu postquam edita erant, carmina etiam in Graecia legi possent. Itaque librum hunc non multo post annum 440 scriptum esse suspicor.

***) Primi enim Gorgiae et Protagorae libri ad annum fere 450 referuntur.

†) Verba sunt haec: *βουλόμενον ξυνθεῖναι τὸν λογὸν τόνδε περὶ τῆς τέχνης τῆς ἰατρικῆς.* Legentem vero mirari subit, quam rara morborum mentio fiat, ut dubites, an medicus librum composuerit.

††) Prisci, ad quos provocat, (*οἱ παλαιοί*) sunt, opinor, poetae theologici et Orphici, de quibus consulas C. A. Brandis Gesch. der Griech.-Röm. Philosophie p. 61.

†††) Doctrinae vero summam, calorem rerum principium esse, exprimit verbis fere Xenophanis. Qui cum dixisset: *Οὖλος ὁρᾷ οὖλος δέ τ' ἀκούει* (vid. Simon Karsten Xenoph. Fr.

sensuum aliorumque instrumentorum functionibus quodammodo accedit ad Platonis sententias, sed ita ut ipsi potius Plato, quam ipse Platoni ob oculos versatus esse videatur, nisi quis veri similius ducat, alius cuiusdam librum utrique innotuisse. Plurima quidem cum iis congruunt, quae ab Empedocle et Alcmaeone disputata erant, ab auctore autem iis, quae ipse diligenter observaverat, sunt accommodata. Semel tantum se discrepare ab iis confitetur, qui de Rerum Natura scripserint, idque de auditu. Auditus rationem ab eo vituperatam proxime quidem ad Anaxagorae et Diogenis doctrinas accedere videmus (cf. Theoph. de Sens. ed Philipps. §. 28 et 40), sed etiam in *libro de Locis in Homine* eandem reperimus, et communem veterum sententiam fuisse de sonis in ipsum cerebrum penetrantibus auctor, cum plurali numero utatur, videtur indicare. Gravissimum inferioris aetatis documentum ducunt venarum et arteriarum discrimen, quod a Praxagora primo factum narrant, sed neque in hoc libro reperitur eiusmodi discrimen, et a Praxagora primo excogitatum falso traditur.*) Immo arteriae hic quoque venarum nomine comprehenduntur, sed aorta, quae nunc vocatur, a vena cava *arteriae* nomine distinguitur, quod discrimen a quo primum factum sit etsi ignoratur, tamen ante Aristotelem factum esse ex hoc ipso concludimus.**) Quod Aristoteles *aortam,* non *arteriam* esse appellatam prodidit, nullius est momenti, arteria enim, denominata ab aorta, quondam idem significavit, ut *liber de Locis in Homine* docet. (Erotianus p. 66 s. v. *Ἀρτίων,* ubi *Ἀορτέων* legendum interpretes diu docuerunt.) At etiam arteriarum, quas venarum cavarum nomine distinguit, pulsus commemoratur! Eum neque Plato ignoravit, quamquam non ab aëre, sed a calore repetit,

II.) noster: *δοκέει δ' ἐμοὶ, ὃ καλέομεν θερμόν, ἀθανατόν τε εἶναι, καὶ ποιεῖν πάντα καὶ ὁρῇν, καὶ ἀκούειν καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι.*

*) Hoc jam docuit Car. Gottl. Kühn de his studiis bene meritus, in Commentatione de Praxagora Coo II. Lips. 1820. Idem nos aliis rationibus ducti ostendemus, de dialecto medicorum cum agemus.

**) Minus accurate refert Kühn l. l. auctore Rufo Ephesio, hoc nomen de vase, quod hodie etiam medici nuncupant, primum ab Aristotele esse usurpatum, qui quidem ipse contrarium profert Hist. anim. III. 3: *ἡ δ' ἐλάττων ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, ἣν καλοῦσί τινες ἀορτὴν ἐκ τοῦ τεθεᾶσθαι καὶ ἐν τοῖς τεθνεῶσι τὸ νευρῶδες αὐτῆς μόριον.* Quem locum fere desperatum, cum *καὶ* ferri non possit, ita emendaverim *ἐκ τοῦ τεθεᾶσθαι κ' νον* i. e. *ἀέρος πλέον* etc.

quem rursus ab aëris motu excitari putat.*) Nostri vero auctoris sententia est eadem fere ac Empedoclis, loquendi genere poetico exuta inque artis formulam redacta, quamquam dubito, an Empedoclis carmen auctori innotuerit cum de respirandi facultate aliisque rebus ab illo expositis aut omnino taceat, aut minus vera proferat.**) Sed in tanta rerum obscuritate, si cui paucis meam sententiam probare non possum, ad alteram dissertationis partem eum delego, ubi singulorum vocabulorum et sententiarum historiam accuratius persequi in animo habeo. Hoc tantum repeto Hippocratis et Hippocraticorum certa in hoc libro vestigia non reperiri, neque doctrinae de flatibus rationem haberi, quare hac quoque eum antiquiorem posui, fontem vero habeo sententiae omnibus inferioribus tritae de calore innato.

Ut facilius conspicerentur, quae e tantis tenebris nobis eruisse videremur, librorum seriem in tabulae formam redegimus. Quantum licuit, eiusdem auctoris libros coniunximus ab alienis secreta lineis interpositis. Scriptorum nomina addidimus etiam, ubi eos non nisi coniectura assecuti sumus; quae tamen dubia videbantur, interrogationis distinximus signo, praeposito illo, ubi librorum tempus non satis firmum est, postposito, ubi incertum, an libri huius auctoris sint. Libros manifesto suppositos i. e. aetate Alexandrina vel serius Hippocratis nomine fictos praetermisimus, dubios vero, quorum nonnulli in septima classe remanent, non removimus posthac diligentius examinandos***) Addita sunt denique tempora plurium illius aetatis virorum, quorum in hac dissertatione mentio est facta.

---

*) Animadvertendum est, quod de huius quaestionis historia e Galeno attulit Hecker Gesch. d. Heilk. I. §. 32 p. 168. Videmus, in quanta perturbatione rerum in medicina gestarum historia adhuc versetur.

**) Hoc quoque contra libri auctoritatem afferri potest, quod auctor cor venarum caput habere videtur: *καὶ ἔστιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῆς φλεβὸς τῆς κοιλοτάτης*, cum Aristoteles hoc sibi inventum vindicare videatur in Hist. Anim. III. 3: *εἰσὶ δὲ καὶ τῶν περὶ φύσιν οἳ τοιαύτην μὲν οὐκ ἐπραγματεύθησαν ἀκριβολογίαν περὶ τὰς φλέβας, πάντες δ' ὁμοίως τὴν ἀρχὴν αὐτῶν ἐκ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ ἐγκεφάλου ποιοῦσι, λέγοντες οὐ καλῶς*. Sed Aristoteles ad eos tantum respicit, qui de Natura rerum scripserunt, quare quod Platonem, qui idem fecerit, consulto ignorasse videretur, eum defendi non opus erat, id quod Philippson conatus est Ὕλη ἀνθρ. c. 7, p. 28, neque propterea *librum de Corde* post Aristotelem scriptum esse credamus.

***) De *Jurisiurandi* et *Legis* origine et aetate iudicium ferre nondum audeo.

Anni.	*Homines.*	*Scripta.*
Circiter annum 550.		Praedictorum liber I.
		—
530.		Coacae Praenotiones.
	Alcmaeon.	—
	Elothales.	
520.	Iccus Tarentinus.	
500.	Epicharmus.	
	Metrodorus.	
		De Locis in Homine.
490.	Hippocrates I Gnosidici filius.	—
460.		(?) De carnibus cum additamentis de Aetate, Partu et Dentitione.
444.	Acron.	
	Empedocles.	—
	Anaxagoras.	
Circiter annum 440.		De Flatibus.
	Herodicus Selymbrianus.	—
	Democritus.	
	Euryphon.	
Circiter annum 436.	Hippocrates II Heraclidis filius scripsit Praenota et de Capitis Vulneribus.	
Inter annos 436—29.	Idem scripsit Morborum Popularium libros I. et III.	
429.	Diogenes Apolloniates.	
	Hippocrates II. scripsit libri Morborum Popularium tertii sectionem secundam.	
	Prodicus Ceus.	
428—24.	Hippocrates II Athenis scripsit Aphorismorum plurimam partem.	
24.	Idem scripsit librum de Aëre, Locis et Aquis.	
		—
		Liber de Natura Pueri.
		—
Inter annos 421—377.		De Prisca Medicina.
		—

Anni.	*Homines.*	*Scripta.*
		De Arte. De Fracturis.
		—
		De Medico. De Decenti Habitu.
		—
	Hippocratis II scripsit	De Morbis librum I., (?) De Morbo Sacro, De Victu Acutorum.
		—
		De Insomniis.
		—
	Polybus scripsit libros	De Victu Salubri, De Affectionibus.
	Philistion Locrus.	
377.	Platonis libri de Republica scribi sunt coepti.	—
	Eudoxus Cnidius.	
Inter annos 377—370.	Ex Hippocratis pluteis	a filiis editi sunt De Officina Medici et De Usu liquidorum libri, a Polybo liber De Natura Hominis, a Thessalo libri De Humoribus, De Alimento, Popularium Morborum II. IV. VI.
		—
		De Affectionibus internis. Praedictorum lib. 2.
		—
		De Judicationibus. De Diebus iudicatoriis. De Fistulis. De Haemorrhoidibus.
		—
		De Vulneribus.
370.	Plato scripsit Timaeum.	—
Inter annos 370 et 350.	Hippocrates III Thessali	filius scripsit De Morbis librum II. et III. De Morbis Mulierum(?).
		—

Anni.	*Homines.*	*Scripta.*
	Chrysippus Cnidius.	De Natura muliebri. De His, quae ad Virginem spectant. De Sterilibus.
	Dioxippus Cous.	—
	Hippocrates IIII Dracontis filius scripsit libros Morborum Popularium V. et VII.,	De Articulis (?), De Corde (?), De Glandulis (?), De Visu (?), De Corporum Sectione(?). — Victiarius. De Ossium Natura. —
Circiter annum 350.	Aristoteles Stagirites.	
340.	Diocles Carystius.	
	Hippocrates V scripsit De Morbis librum IV. (?) De	Genitura (?), De Remediis Purgantibus (??). — De Victu Sanorum libri tres.
320.	Praxagoras Cous.	
310.	Herophilus Chalcedonius.	
300.	Erasistratus Ceus.	

Non me fugit, quam multa non nisi coniectura sim assecutus, neque infitias eo, definitis annorum numeris initio et fine proditorum non nimium esse tribuendum, quamquam series atque ordo maiorem mereri videtur fidem. Fore tamen spero, ut aliquando etiam certiora et accuratiora prodere liceat. Ne cui praematurius egisse videar, hic repetendum duxi, viam me indicare voluisse, qua aut alius ultra progredi possit, aut, si otium mihi concessum fuerit, ipse pergam. Prae ceteris id efficere erit studendum, ut Eudoxi, Chrysippi, Dioxippi, Dioclis atque Praxagorae aetates accuratius definiantur et constituatur, quibus annis singula Aristotelis scripta corporis humani structuram illustrantia sive primum scripta sint, sive denuo recensita atque edita.

Index Scholarum.

Christianus Petersen, Ph. Dr.,
Philologiae classicae P. P., h. a. Gymnasii Rector.,

Semestri, quod instat, aestivo

1) *Philosophiam Graecorum et Romanorum* ex ipsorum monumentis adumbrare animum induxit, duce libro H. Ritteri et L. Prelleri inscripto: Historia Philosophiae Graeco-Romanae ex Fontium locis contexta. Hamburgi 1838; h. 11 — 12 dierr. Mercurii et Saturni;

2) *Hippocratis librum de Aëre, Locis et Aquis* dignum sane, quem non soli medicinae studiosi noscant, interpretandum offert ex editione in harum lectionum commodum parata a. 1833 sumptibus Perthesii et Besseri, h. 1 — 2 dierr. Martis et Veneris;

3) *Plauti Trinummum* exponere paratus erit h. 10 — 11 dierr. Lunae et Iovis, ad editionem Fr. Lindemanni, Lipsiae 1830;

4) *Introductionem in historiam litterarum* offert, adhibito L. Wachleri libro: Lehrbuch der Literaturgeschichte (Leipzig 1830) d. Lunae h. 1 — 2. Hasce scholas, si qui praetulerint, in semestre hibernum aut differet, aut extendet, h. 12 — 1 eiusdem diei.

Semestri deinde hiberno idem paratus erit:

1) *Lyricorum Graecorum reliquias* enarrare secundum Schneidewini librum, qui inscriptus est: Delectus poesis Graecorum Elegiacae, Iambicae, Melicae (Gottingae 1838) h. 1 — 2 dierr. Iovis et Veneris;

2) *Quinctiliani Institutionis Oratoriae* librum primum et decimum commentari h. 11 — 12 d. Mercurii et h. 10 — 11 d. Iovis.

3) Praefatus semestri priore *de litterarum monumentis*, quibus ius Romanum continetur, deque *forma imperii Romani* a Constantini Magni tempore (h. 1 — 2 d. Iovis et h. 10 — 11 d. Saturni), deinde posteriore semestri *Institutionum Iuris Romani* tractandarum rationem et viam aperiet h. 1 — 2 dierr. Lunae et Martis. Utraque lectio versabitur in C. A. C. Klenzii libro enarrando: Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts, ein Grundriss aus den Quellen, Berlin 1835.

4) In commodum eorum, qui litteris elegantioribus delectantur, adumbrare studet, quomodo pendeat populi nostri *Poesis Lyrica*, quae a Ramlero ad Goethium usque floruit, ab arte lyrica Graecorum et Romanorum, h. 2 — 3 d. Martis.

J. G. C. Lehmann, Dr., Hist. Nat. Prof. P.,

Semestri, quod instat, *aestivo*

1) Institutiones rei herbariae docebit d. Lunae et Martis h. XI — XII.
2) Exercitationes in definiendis vegetabilibus secundum systemata usitata cum auditoribus instituet d. Jovis et Veneris h. XI — XII.
3) Botanicen generalem praecipue in usum botaniphilorum enarrabit d. Mercurii h. III — IV.
4) Excursiones botanicae in vicinas regiones una cum auditoribus instituentur d. Saturni, horis pomeridianis III — IX.

Semestri *hiberno*

1) Historiam naturalem, quam vocant universalem, animalium vertebratorum docebit d. Lunae, Martis et Veneris h. XI — XII.
2) Glossologiam et taxinomiam phytologicam interpretabitur d. Jovis et Saturni h. XI — XII.

Otto Carsten Krabbe, Phil. Dr.,
Philologiae sacrae Prof. P.,
Commilitonibus ornatissimis S.

Semestri, quod instat, aestivo

1) Matthaeum, ratione synoptica Marci et Lucae evangeliorum habita, explicabo, praemissa succincta de evangelii authentia et de sermone, quo Matthaeus evangelium suum consignaverit, disputatione, diebus Veneris et Saturni, h. IX — X.
2) Genesin interpretabor, diebus Mercurii et Jovis, h. IX — X.
3) Linguae Hebraeae grammaticam tradam, atque exercitationes commilitonum adjungam, die Veneris, h. VIII — IX.
4) Historiam Hebraeorum, fontibus ejus diligentius uberiusque enumeratis et examinatis, enarrabo, die Martis, h. VIII — IX.
5) Logicen docebo, diebus Lunae et Martis, h. IX — X.

Semestri hujus anni hiberno

1) Jobi carmen interpretabor, diebus Lunae et Martis, h. I — II.
2) Acta apostolorum explicabo, diebus Jovis et Veneris, h. IX — X.

3) Encyclopaediam et methodologiam theologicam exponam, diebus Mercurii et Saturni, h. IX — X.

4) Historiam ecclesiasticam a Constantino Magno usque ad Lutherum publice enarrabo, die Mercurii, h. II — III.

5) Psychologiam tradam, diebus Lunae et Martis, h. IX — X.

C. F. Wurm, Phil. Dr., Historiar. P. P.,

Semestri, quod instat, aestivo,

1) historiam *recentioris aevi* inde a fine seculi decimi quinti ad pacem Westphalicam enarrabit, duce libro *Heerenii (Geschichte d. Europ. Staatensystems)*, d. d. Martis, Mercurii et Veneris, h. X — XI.

2) Idem notitiam *auctorum, qui de rebus ejusdem aevi scripserunt*, succinctam proponet, d. Mercurii, h. II — III.

3) Idem *Polybii Historiarum librum sextum* (cujus separata exstat parvoque parabilis editio, cura Lehneri evulgata) ita tractabit, ut, quidquid ad peritiam rerum civilium pertinere videatur, fusius atque diligentius illustretur, d. d. Martis et Veneris, h. XII — I.

Idem per semestre hibernum

1) *res Germanorum* inde a pace Westphalica persequetur d. d. Martis, Jovis et Veneris, h. VIII — IX;

2) de *Graecorum rebus publicis* disputabit d. d. Martis, Jovis et Veneris, h. XII — I;

3) de *statu reip. Hamburgensis* ab Urbe Condita ad Recessum, quem vocant, novissimum s. generalem, exponet d. Martis, hora VII. vespertina;

4) de *fluviis* denique *Germaniae praecipuis* disseret, d. Saturni, h. II — III.

K. W. M. Wiebel, Physices et Matheseos P. P.,

Semestri, quod instat aestivo, scholas offert hasce:

1) Trigonometriam planam, d. Veneris h. VII — VIII.

2) Physicen theoreticam et experimentalem d. Lunae et Jovis, h. XII — I, Mercurii h. VIII — IX.

3) Chemiae theoreticae partem anorganicam publice d. Lunae, Jovis et Saturni, h. VIII — IX.

4) Chemiam in rebus technicis applicatam publice d. Lunae h. II — III.

Semestri deinde hiberno

1) Trigonometriam sphaericam d. Martis h. X — XI.

2) Physicen theoreticam et experimentalem d. Lunae, Mercurii et Saturni, h. X — XI.

3) Chemiae theoreticae partem organicam publice d. Lunae, Mercurii et Saturni h. VIII — IX.

4) Geographiae physicae partem alteram, Hydrologiam et Meteorologiam d. Lunae h. II — III.

Exercitationes practicas et Chemiam analyticam, laboratorio chemico comparato moderabitur, easque suo tempore indicabit.

INDEX LECTIONUM

in schola Anatomico-chirurgica

per semestre aestivum 1839 habendarum.

Pathologiam generalem docebit d. Martis h. 5 — 6. Dr. Phys. *Buek;*

Splanchnologiam et Angiologiam d. Iovis h. 5 — 6. Dr. *Gerson;*

De Vulneribus doctrinam d. Iovis h. 3 — 4. tradet Dr. *Oppenheim;*

De Ulceribus doctrinam d. Martis h. 4 — 5. Dr. *Oppenheim;*

Toxicologiam d. Iovis h. 4 — 5. Dr *Fricke;*

Physiologiam d. d. Martis et Veneris h. 6 — 7. Dr. *Herzfeld.*

Lectiones semestris hiberni suo tempore indicabuntur.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

TABULA LECTIONUM

semestri aestivo a. 1839 habendarum.

Horae.	Dies Lunae.	Dies Martis.	Dies Mercurii	Dies Jovis.	Dies Veneris.	Dies Saturni.
7—8.					Trigonometria plana. *Wiebel.*	
8—9.	Chemia theoretica. *Wiebel.*	Historia Hebraeorum. *Krabbe.*	Physice. *Wiebel.*	Chemia theoretica. *Wiebel.*	Grammatice linguae Hebraeae. *Krabbe.*	Chemia theoretica. *Wiebel.*
9—10.	Logice. *Krabbe.*	Logice. *Krabbe.*	Genesis. *Krabbe.*	Genesis. *Krabbe.*	Synopsis Evangeliorum. *Krabbe.*	Synopsis Evangeliorum. *Krabbe.*
10—11.	Plautus. *Petersen.*	Historia recentior. *Wurm.*	Historia recentior. *Wurm.*	Plautus. *Petersen.*	Historia recentior. *Wurm.*	Historia juris Romani. *Petersen.*
11—12.	Botanice theoretica. *Lehmann.*	Botanice theoretica. *Lehmann.*	Philosophia Graeco-Romana. *Petersen.*	Botanice practica. *Lehmann.*	Botanice practica. *Lehmann.*	Philosophia Graeco-Romana. *Petersen.*
12—1.	Physice. *Wiebel.*	Polybius. *Wurm.*	12 — 2. Bibliotheca publica.	Physice. *Wiebel.*	Polybius. *Wurm.*	12 — 2. Bibliotheca publica.
1—2.	Historia litterarum. *Petersen.*	Hippocrates. *Petersen.*		Historia juris Romani. *Petersen.*	Hippocrates. *Petersen.*	
2—3.	Chemia technica. *Wiebel.*		Fontes historiae recentioris. *Wurm.*			
3—4.			Botanice generalis. *Lehmann.*			3 — 9. Excursiones botanicae. *Lehmann.*

TABULA LECTIONUM

semestri hiberno a 1839—1840 habendarum.

Horae.	*Dies Lunae.*	*Dies Martis.*	*Dies Mercurii*	*Dies Iovis.*	*Dies Veneris.*	*Dies Saturni.*
8— 9.	Chemia theoretica. *Wiebel.*	Histor. Germanica. *Wurm.*	Chemia theoretica. *Wiebel.*	Histor. Germanica. *Wurm.*	Histor. Germanica. *Wurm.*	Chemia theoretica. *Wiebel.*
9—10.	Psychologia. *Krabbe.*	Psychologia. *Krabbe.*	Encyclopaedia theologica. *Krabbe.*	Acta Apostolorum. *Krabbe.*	Acta Apostolorum. *Krabbe.*	Encyclopaedia theologica. *Krabbe.*
10—11.	Physice. *Wiebel.*	Trigonometria sphaerica. *Wiebel.*	Physice. *Wiebel.*	Quinctilianus *Petersen.*	Physice. *Wiebel.*	Physice. *Wiebel.*
11—12.	Historia naturalis. *Lehmann.*	Historia naturalis. *Lehmann.*	Quinctilianus. *Petersen.*	Glossologia hist. naturalis. *Lehmann.*	Historia naturalis. *Lehmann.*	Glossologia hist. naturalis. *Lehmann.*
12— 1.	Historia litterarum. *Petersen.*	Res publicae Graecorum. *Wurm.*	12—2. Bibliotheca publica.	Res publicae Graecorum. *Wurm.*	Res publicae Graecorum. *Wurm.*	12 — 2. Bibliotheca publica.
1— 2.	Iobi liber. *Krabbe.* Institutiones iuris Romani. *Petersen.*	Iobi liber. *Krabbe.* Institutiones iuris Romani. *Petersen.*		Lyrici Graeci. *Petersen.*	Lyrici Graeci. *Petersen.*	
2— 3.	Geographia Physica. *Wiebel.*	Poësis lyrica. *Petersen.*	Historia ecclesiastica. *Krabbe.*			De Fluviis Germaniae. *Wurm.*
7— 8.		Res publica Hamburgensis. *Wurm.*				